CONSPECTUS
MORBORUM AURIS HUMANAE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PATHOLOGICO - THERAPEUTICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILELMA

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE CAPESSENDIS

SCRIPSIT ATQUE

DIE VII. MENS. FEBRUARII MDCCCXXXIII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

JULIUS LOBETHAL.

VRATISLAVIENSIS.

OPPONENTIBUS:

H. HIRSCHFELD, MED. ET CHIR. DD.
M. B. LESSING, MED. ET CHIR. DD.
H. SCHWEITZER, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,

TYP. NIETACKIANIS.

Tout-à-coup, j'entends des sons; le chant des oiseau
le murmure des airs formaient un concert, dont la douc
impression me remuait jusquáu fond de mon âme; j'écou
tai long-temps, et je me persuadai bientôt, que cette ha
monie était moi.

Buffon.

PARENTIBUS OPTIMIS DILECTISSIMIS

GRATUS PIUSQUE FILII ANIMUS.

PRAEFATIO.

Dum multi alii, quibus pari occasione rei cujusdam explanandae officium exstat, se, quamnam materiam sibi tractandam sumerent, diu incertos haesisse sincere profitentur, mihi, quod jam per aliquot annos animo volvi atque diligenter mecum reputavi, consilii perpetrandi nunc tandem tempus idoneum apparuisse, magnopere laetor. Morbos enim aurium, quatenus auditum, eximium illud donum, divinitus nobis tributum, attingant, accurata disquisitione percensere, operae mihi pretium visum est.

Materia vero illa cur potissimum mihi arriserit, ratio reddenda erit. Non minus enim sensus illius grave in humani corporis organismo momentum me permovit, ut huic operi aggrediendo me accingerem, quam crebra observatio conditionis illius miserrimae, in quam obsurdefacti et surdomuti nati fato incurrant. Tantumque abest, ut juvenili mea aetate et scientia manca atque exili, quam hucusque mihi acquirere potui, a consilio, quod toto amplexus sum animo, deterrerer, ut pro viribus pensum, mihi ipsi propositum, elaboraturus fuerim. Nec tamen in hanc arenam descendere ausim, priusquam, ut existimatores doctissimi atque humanissimi mihi indulgeant, oraverim atque rogaverim. Quomodo enim juvenis, qui vix scholis interesse cessavit, quasi docere conetur, nisi spe erectus, fore, ut judices mitissimi

eum non tam novi aliquid, quam sententias aliorum in certum ordinem digestas atque inter se comparatas prolaturum exspectent. Huc praeterea accedit, quod novissimis temporibus admodum pauci in solis aurium atque auditus morbis versati sint, et ad eorum libros, quum lingua vernacula vix singuli adhuc uterentur, haudquaquam facilis pateat aditus. Jam vero hucusque Francogallis in hac pathologiae specialis et therapiae parte illustranda palma deferenda est, inprimis Itard, Saissy et Deleau. Liceat mihi, quamvis juveni, modestiam sibi servaturo, desiderium, utique a multis probatum, exprimere, ut unus e celeberrimo medicorum ordine, civitatis nostrae decore, hanc quoque gloriam patriae paret.

INDEX LIBRORUM

SECUNDUM ANNOS DIGESTUS.

Mercurialis, Hieron. de morb. oculor. et aurium. 4. Venet. 1590.

Alberti, Oratio de surditate et mutitate. Norimberg. 1591.

Nymmanus, Diss. de gravi auditu et surditate. Viteb. 1594.

Grammaeus, Theod. de morb. oculor. et aurium. 4. Venet. 1601.

Wolff, Joann. Diss. in Galeni libros de affectibus aurium. 4. Helmstadii. 1619. in Exercitationib. semioticis ad Claud. Galeni libros de locis affectis. 4. Helmstadii 1620.

Menjotii, Diss. de bombis aurium. App. ad hist. febr. malign. Paris. 1622.

Alsarius a Cruce, Consultatio pro nobili adolescentulo, oblivione, surditate et obauditione laborante. Rom. 1629. 4.

Zeidler, Diss. de aurium tinnitu. Lips. 4. 1630.

Accidalius, Diss. de auditione laesa. 4. Vitenberg. 1640.

Banzer, Marcus Diss. de auditione laesa. 4. Vitenb. 1640.

Brehm, Diss. de auditu in genere et tinnitu aurium perpetuo. 4. Ingolstad. 1651.

Deusing, Diss. de surdis ab ortu. Groening. 1660.

Walrenius, Diss. de catarrho, et ex eo descendente otalgia etc. Rostock. 1663.

Brotbeck, Diss. de inflammatione aurium. 4. Tubing. 1667.

Schenck, Joann. Theod. Diss. de tinnitu aurium. 4, Jen. 1667.

Steudner, Diss. de auditus diminutione et abolitione. Lugd. Batav. 1669.

Screta a Zavorziz, Diss. de laesa auditione. 4 Basil. 1671.

Ryckewaert, Diss. de surditate et gravitate auditus. Lugd. Batav. 1677.

Crausius, Rud. Guil. Diss. de tinnitu aurium 4. Jen. 1681.

Duverney in Traité de l'organe de l'ouïe. Paris. 1683.

Bauhin, Joann. Diss. de auditus laesione. 4. Basileae. 1687.

Meisner, Diss. de auditu ejusque vitiis. 4. Prag. 1690.

Schmid, Diss. surdus de sono-judicans. Jen. 1690.

Scheuchzer, Diss. de surdo audiente. Traj. ad Rhen. 1694.

Helbich, Diss. de sonitu et tinnitu aurium. 4. Altdorf. 1699.

Lenzius, de hominibus ad cataractas Nili obsurdescentibus. Vittb. 1699.

Valsalva, de aure humana. Bonon. 1704.

Wedel, Georg Wolfgang, Diss. de affectibus aurium in genere. 4. Jen. 1705.

Finckenau, Jacob, Diss. de tinnitu aurium. 4. Regiomont. 1706.

Demerehenc de la Conseillére in Diss de auditu. Utr. 1710.

Tschudi Diss. de aurium medicina. 4. Argentorat. 1715.

Zwinger, Theod. Diss. Otiatreia. 4. Basil. 1715.

Hase, de tubis stentoreis. Lips. 1717.

Rivinus, Aug. Quirin. Diss. de auditus vitiis. 4. Lips. 1717.

De Pré, Diss. aeger ulcere aurium laborans. Erf. 1718.

Wedel, Joh. Adam, de auditus vitiis. Jen. 1720.

Camerarius, Rud. Jacob Diss. de verme auribus excusso. 4. Tub. 1721.

Volckamer, Mich. Georg, Diss. de otalgia. 4. Altdorf. 1733.

Hofmeister, Diss. de organo auditus ejusque vitiis. Lugd. Batav. 1741.

Schulze, Joann. Henric, Diss. de auribus manantibus et ulceratis. 4. Halae. 1743.

Murray, Diss. Abscessus auris internae observatio. 8. Upsal. 1746. v. Rudolphi Schwed. Annal. 1s Heft p. 105.

Jantke, Joann, Jacob, Diss. de tinnitu aurium ejusque speciebus. 4. Altdorfii. 1746.

Baumer, Diss. Prodromus methodi, surdos a nativitate faciendi audientes et loquentes. Erf. 1749.

Kaltschmid Diss. de otalgia. Jen. 1749.

Quelmalz, Sam. Theod. Programma de haemorrhagia auris sinistrae. 4. Lips. 1750.

— — — — de obduratione meatus auditorii inprimis a polypo. Lips. 1752.

Busson, Diss. Ergo absque membranae tympani apertura topica injici in concham possunt. Paris. 1748. Haller. Collect. Dissert. Chir. II. n. 44.

Alberti, Mich., Diss. de causis vitiorum auditus. 4. Halae. 1752.

A. E. Buechner, resp. Dennewitz. Diss. de indiciis aurium in morbis. Hal. 1754.

A. Bergen, Carol. August. Diss. de morbis auris externae. 4. Francof. 1754.

Büchner, Diss. sistens novae methodi surdos reddendi audientes physicas et medicas rationes. Halae 1757. Vogel. N. Bibl. 4. Bnd. p. 335. ed. Germ.

Winkler, Prodrom. de ratione audiendi per dentes. Lips. 1760.

Milloradowics, Diss. de surditate ex retropulsa crusta lactea orta. Hal. 1769.

Büchner, Diss. de auditus difficultate, circa febrium acutarum decrementum. Hal. 1767. v. Bald. Auszge. I. p. 77.

Cartheuser, Joann. Francisc. Diss. de susurratione et tinnitu aurium in Dissertat. select. No. 9. 8. Francof. ad Viadr. 1775.

Wünsch, Diss. de auris humanae internae proprietatibus et vitiis quibusdam. Lips. 1777.

Trnka de Krzowitz, historia cophoseos et barγoeciae. Vindob. 1778.

Platner, Diss. de morbis membranae tympani. Lips. 1780.

Andrieu, Avis sur les causes de l'aveuglement, de la surdité etc, Paris. 1780. 8.

Haase, Diss. de auditus vitiis, surditatem et difficilem auditum producentibus. Lips. 1782. Doering I. p. 205.

Leidenfrost, Joh. Gottl. Diss. de tinnitu et susurru aurium. 4. Duisburgi. 1784.

J. H. Schedet, Diss. de tinnitu aurium. Duisb. 1784.

Wesener, Diss. de susurru aurium. 4. Duisburg. 1785. — Doering I. p. 205.

Wiederherstellung des Gehörs durch eine leichte chirurgische Operation. Altenb. 1786.

Fritze, Diss. sistens praecipuos aurium morbos. 8. Francof. ad Viadr. 1789.

Horlacher, Diss. de praecipuis aurium morbis. 4. Goetting, 1792.

Arnemann, J., Bemerkungen über die Durchbohrung des process. mastoid. in gewissen Fällen der Taubh. Götting. 1792. Salzb. med. chir. Ztng. 1792. 4. p. 24. N. A. D. B. B. 8. p. 320. A. L. Z. 1792. n. 271.

Giebelhausen, Diss. de dignoscendis auditus vitiis. Hal. 1799. Salzb. med. chir. Ztng. 1801. 2. Bände pag. 264.

Wildberg, C. F. L., Versuch einer anatom. physiolog. patholog. Abhandlg. üb. d. Gehörwrkzge des Menschen. Jen. 1798. 8. N. A. D. B. B. 24. p. 397. Tüb. Anz. 1795. p. 393. Salzb. med. chir. Ztng. 1796. I. p. 9. A. L. Z. 1799. N. 203.

Maunoir, J. P. Observation sur une maladie de l'organe de l'ouïe, guerie radicalement, par la perforation de la membrane du tympan. vid. in Journ. de médecine, chirurgie, pharmacie etc. p. M. Corvisart, Leroux et Boyer. Brumaire an 13. tom. 9. pag. 106.

Trampel, wie erhält man sein Gehör gut, u. was fängt man damit an, wenn es fehlerhaft geworden Pyrmont, 1800. 8. N. A. D. B. B. 65. p. 310. A. L. Z. 1802. n. 185.

Kritter u. Lentin, üb. d. schwere Gehör und die Heilng. d. Gehörfehler — m. Zstzen v. Nicens. Leipz. 1794. 8. N. A. D. B. B. 13. p. 171.

Pfaff, C. H., Versuch üb. d. Anwend. d. Voltaischen Säule b. Taubstummen. Kopenhagen. 1802.

Pfingsten, G. W., Beobacht. u. Erfahrungen üb. d. Gehörfehler d. Tbstummen etc. Kiel 1802.

Neuss, Diss. de perforatione membranae tympani. Gött. 1801. Gött. Anz. 1802. p. 2085.

Bouvier Demortiers, Memoires sur les surdmuets de naissance et sur les moyens de donner la parole et l'ouïe à ceux qui en sont susceptibles Paris. an. VII. Salzb. med. Ztng. V. Ergänzungsblatt. p. 287. A. L. Z. 1802. N. 369.

Ernst Ad. Eschke, Kurze Bemerk. üb. d. Tbht. S. Berl. 1803. 8. Gött. Anz. 1803. p. 2033.

Fischer Chr. Ernst, Abhdlg. v. Krebse d. Ohrs 4. Limburg. 1804. v. Salzb. med. chir. Ztng. 1805. 1. p. 76. N. Allg. D. Bibl. B. 94. p. 413.

Ettmüller, C. F. B., V. d. Krnkhtn. d. Ohrs — eine Haustafel. Lübben. 1802. Allg. Litt. Ztng. 1803. I. p. 295.

Gaudichon, Propositions aphoristiques sur la surdité. 16. p. 4. Par. 1804.

Pfingsten, G. W., Gehörmesser z. Untrschng. der Gehörfhgkt. galvanisirt. Tbstmm. Kiel. 1804. N. A. D. B. 102. B. p. 29. N. Leipz. Litt. Ztng. 1804. p. 2607.

Saunders, J. C., The anatomy and diseases of the human ear. fol. Londres. 1806.

Niewenhuis, Diss. Momenta quaedam de surditate per puncturam membranae tympani curanda. Traj. ad Rhen. 1807.

C. Himly, Commentatio de perforatione membranae tympani. Goetting. 1808. 4.

Fuchs, de perforatione tympani praecipue de vera hujus operationis indicatione. Jenae. 1809. 4.

Wolke, C. H., Nachricht von den zu Jever durch die Galvani-Voltaische Gehör-Gäbe-Kunst beglückten Taubstummen. Oldenburg. 1802. 8.

Alard, Essai sur le catarrhe de l'oreille, 8. Par. 1807.

Beck, Diss. de tympani perforatione in surditatis cura cautius cariusque adhibenda. Erlang. 1806. Salzb. med. chir. Ztg. 1807. II. p. 218.

J. H. Curtis, treatise on the physiology and disea-

ses of the ear. London. 1818. Germ. edid. H. Robbi. Leipzig. 1819.

Carol. Adolph Eschke, Diss. de auditus vitiis. Berol. 1819.

Itard, J. M. G., Traité des maladies de l'oreille et de l'audition. Paris. 1821. 2 Vol. 8. — Germ. edit. Weimar. 1822.

Mürer, Comment. de causis cophoseos surdomutorum indagatu difficilibus. Haffniae. 1825.

K. J. Beck, die Krankheiten des Gehörorgans. Heidelberg. 1827.

Riedel, über die Krankheiten des Ohrs und des Gehörs. Leipz. 1832. 8.

Kramer, W., Erfahrungen über die Erkenntniss u. Heilung der langwierigen Schwerhörigkeit. Berlin. 1833. 8.

Praeterea de eadem illa re fusius strictiusve in his agitur scriptis: — Ephem. Nat. Curios. — Halleri, diss. chir. select. — Mémoir. de l'Academie de Chir. — Acta Nat. Curios. — Hufeland, Schreger und Harles, Journ. d. med. ausländ. Litterat. — Hufeland, Journ. d. prakt. Heilkunde. — Hufeland's neueste Annal. d. franz. Arzneikde. — Horn's Archiv. — Salzb. med. chir. Ztng. — Sammlung auserlesener Abhandlg. f. prakt. Aerzte. — Richter's chir. Bibl. — Dictionnaire des sciences médicales. v. Audition, Cerumen, Cornet acoustique, Oreille, Otite, Otorrhée etc. — Journal de médecine. — Revue médicale. — Philosophical Transactions. — Hoffmann, de auditus vitiis. — Boneti sepulchretum. — Morgagni de sedib. et caus. morbor. — Reil's

Fieberlehre. — Sam. Gottl. Vogel. — Burser. de Kanilfeldt. — Joh. Pet. Frank. — etc. etc. etc. — Saissy, Essai sur les maladies de l'oreille interne. 1827. — Deleau, Mémoire sur quelques moyens destinés à médicamenter l'oreille externe et moyenne, suivi d'observations pratiques. 1827.

---

§. 1. Quanta sit dignitas auditus, hi potissimum nos docent, qui vel surdomuti nati semper illo caruerunt, vel fatali hujus organi morbo summum illum humanae felicitatis fontem miserrime perdiderunt. — Visus atque auditus primo jam intuitu omnium sensuum praestantissimi videntur, quamobrem non immerito a Platone animi sensus vocati sunt. Sed quantacunque est corporis humani cum corporibus externis per visum ratio atque nexus, hic tamen non tantopere in animum ipsum influit, quam auditus. Jam Celsus Lib. VI. Cap. VII. vitia oculorum, inquit, intra ipsos nocent: aurium inflammationes doloresque interdum etiam ad dementiam mortemque praecipitant. Scatent illius vatis Coi aphorismi sagacissimis de prognosi ex auribus sententiis. Cum philosophi tum medici, ut singulos modo dicam, Kant et Itard, quam miserum animi atque mentis in surdomutis natis statum describunt? quin Kant dicere non dubitat, quodam mentis analogo tantum illos frui*). Et

1) Kant, Anthropologie. p. 49.

sane auditus, nonne fons est summarum oblectationum? in illo sitae sunt omnes harmoniae, hoc modo adjuvante philomelae melodia oblectamur. Per illum murmur rivulorum, zephyri susurrum, coeli fragorem audimus, ille docet animalia, quae fugienda sunt, pericula. Vel jam ex eo auditus gravitas elucet, quod omnium sensuum is est, cujus nullum fere animal, seu insectum seu vermis, expers est, numinis propitii benevolentia, quae nulli hoc denegare voluit beneficium animanti. — Num pluribus opus est, ad hujus partis morbos assiduae medicorum curae commendandos? Magnae sane sunt difficultates, quae nobis hic obstant! — Prorsus subtractum est sensibus organum auditus, in osse petroso reconditum, mire constructum, et vix contigerit in homine vivo, ut mutationes sanae et morbosae, praesertim inter tot partes, quae aurem constituunt, eae dignoscantur, quae aut quomodo laborent. Sed hoc erit nostrum, conari, quod natura oculis nostris circumdedit velum, indefesse animi luce illustrare.

§. 2. Omnes aurium morbos auditum laedere, obtineri nequit, quum nonnunquam sine ulla auditus perturbatione aures gravissimis inflammationibus, otalgiis affici, in iisque vermes et alia corpora peregrina versari videamus. Sane rarioribus ii adcensendi sunt casus, nam in universum plerique aurium morbi in sensum magis minusve valent. Gradatio morborum auditus in paracusin, baryoeciam et cophosin, quamvis magnum inter easdem sit discrimen, nec in pathologiam nec in therapiam ullius est momenti. Mox baryoecia cum susurro, tinnitu, sibilo aliisque

hallucinationibus complicata est, mox in uno eodemque homine brevissimis temporis spatiis crescit minuiturve, ita, ut quoad curam idem sit, utrum hallucinationibus, an levi vel gravi auditus laesione aegrotus laboret. Jam enim non raro auditus perturbationes ita aegroto insidiari videmus, ut levissima morbo ineunte soni percipiendi difficultas aegrotum de salute securum reddat, tunc demum morbum agnoscentem, quum longum tempus omnem curam irritam reddiderit.

Ex auditus cum summis animi facultatibus consensu mox patebit, magnam illius cum universo organismo esse rationem, ejusque morbos semper magis minusve in reliquum corpus redundare. Plurimi aurium morbi, si accuratius consideres, e morbis universalibus originem ducunt: discrimen inter morbum topicum et universalem et hic refellitur. Negligenda igitur nequaquam erunt medicamina topica, ipsi morbi sedi admota, respiciatur modo simul status corporis universus: tum neque inhalationibus aut instillationibus mellis cum lacte membranam tympani, et per eandem omnes auris partes inundare, neque oleis mox blandissimis mox acerrimis mox aethereis inungere debebimus, nec amplius ad qualiacunque empirica refugiemus medicamina, quibus, sit venia verbo, major aurium numerus surdae, quam curatae sunt.

§. 3. Quaelibet formae atque texturae in organismo humano mutatio inflammationi originem debet, de cujus in organismum potentia, quoad plurimorum morborum originem, jam omnes consentiunt. Et in aurium morbos non minoris haec est momenti. Vel otitis ipsa,

vel singularum auris partium, ut membranae tympani, tubae Eustachii inflammationes praecipuae omnium aurium atque auditus affectionum causae existunt. Ut vero temperamentum, corporis constitutio, aetas, sexus in omnes morbos, sic in otitidem imperium exercent. Jamque haec non eadem praebebit symptomata in homine robusto, bene nutrito, plethorico, quae in debili, erethico, ad spasmos proclivi, eaque non iisdem cedet medicaminibus in homine dyscrasia rheumatica, quibus in scrophulosa aut syphilitica etc. laborante.

Inter omnes humorum dyscrasias maxime aures invadere solent rheumatica et scrophulosa, item syphilitica. Rheumatismus, acutus vel chronicus, ne dicam omnes, sane plurimos provocare valet aurium morbos, adeoque ejus cum aurium morbis complicatio frequentissima est. Pars a vestimentis nuda, aëri, ventis, aliisque potentiis externis magis obnoxia, praesertim membranacea, tendinosa, facillime, experientia testante, afficitur rheumatismo; quod nimirum causa exstat, cur omnes capitis partes, et inprimis aurem, saepius et pertinacius eo laborare videamus, in illis potissimum hominibus, quorum caput large transpirat, aut qui calidis ejusdem obtegumentis sensibilitatem nimis auxerunt. Infantium otorrhoea, saepissima surditatis incurabilis causa, semper fere scrophulosi originem debet. Ipse vidi in puero septem annorum, nunc ophthalmiam scrophulosam, nunc otorrhoeam abhinc aliquot annos vicissim apparere, illam accuratissime a medico curatam, hanc, quod ultro cederet, prorsus neglectam. Oculorum affectio-

nes sane magis sunt conspicuae, ideoque — o vanitatis humanae turpitudinem, — multo aegrius ferri videtur coecitas quam surditas. — Denique syphilis, praesertim quae cum faucium ulceribus, ozaena, conjuncta est, aurium morbis saepissime ansam dat, varioque modo infestat aurem, ex ossibus et membranis compositam.

§. 4. Num profecto minor morborum auris, quam surditatum numerus sit, auditusque perturbationes ab aurium morbis necessariae proficiscantur? Nullo modo refelli potest experientia, qua docemur, aurem in universum rarius morbis obnoxiam esse, quam surditas saepissime obvia nos suspicari jubeat. Quod, etiamsi lacunosam nostram physiologiae harum partium cognitionem lumine sane ingrato illustret, tamen id quoque commodum secum fert, quod praestantissimi sensus perturbationes haud prorsus ab illius organo dependentes ostendat. Dum materiae morbus dolore, ingenii ac sensus affectio eorundem perturbatione indicatur. Inter auris autem ac auditus morbos intima quaedam necessitudo viget, nec unquam materiae ad mentem in corpore nostro ratio negligenda est. Conclusio vero, contrarium contendens, fieri nequit, quamvis ne hic quidem mutuus ut inter causam eventumque concentus deficiat. Nec immerito analogiam inter auditus mentisque morbos demonstrandam mihi sumo, et sicuti mentis affectiones partim e turbatione aequilibrii facultatum animi mere psychica, partim e malis somaticis oriundas videmus, pari modo in surditate hanc potissimum differentiam exponendam censeo. Facile erit intellectu, in hoc

profecto difficultatem sat magnam positam esse, naturae morbi auditus obvenientis recte penetrandae. Ceterum in universum quidem quisque auris morbus, nisi totum organismum infestare valeat, ut otitis interna, otorrhoea purulenta aliique, sola adversa in auditum vi grave quoddam pondus acquirit. Quod vel in systematica morborum huc pertinentium divisione quamvis difficili necessarium judico, divisionis causam ab auditu non ab aure petere; auditus enim affectio auri exhibet normam. Quibus rationibus permotus, consentaneum duxi, illos primum morbos pertractare, qui vim suam in universum corpus omnesque auris partes modo magis minusve aequali exercere valent, tum tali omnium auris morborum divisioni auctoritatem parare, qualis sententiam meam supra expositam adjuvat.

OTITIS. INFLAMMATIO AURIUM. OTALGIA INFLAMMATORIA. OTALGIA VERA. OTALGIE.

§. 5. Dolor aurium ardens, pulsatilis, tensivus et lancinans, cum febre utplurimum intensa, pulsu duro, magno et frequenti, cephalaea, tensione capitis, inquietudine, anxietate summa, pervigilio, non raro deliriis, animi deliquiis *), frigore extremitatum, artuum torpore**), otitidem adesse significant: Aures

*) Fried. Hoffmann l. c. p. 336.

**) Sauvages, l. c. T. II. p. 71.

ipsae tinniunt et obsurdescunt aut acutissime audiunt. Nonnunquam etiam fauces tubae Eustachii orificium versus, amygdalae, dentes, nasus, quin ipsum cerebrum afficiuntur. Diversa pro inflammationis sede esse possunt symptomata. Si meatum auditorium externum et glandulas ceruminosas simul invadat, tumor et rubedo conspicua erit, nec meatus auditorius et auricula vel levissimum ferent tactum. Sin vero media aut interna auris hac affectae sint labe, tum, ni forte meatus auditorius inflammationem participet, auris nec rubet nec dolet, sed in ima aure dolor ab aegroto sentitur; hic acutior potius quam obtusior esse solet auditus. Quodsi, primis jam diebus, non discutiatur inflammatio, sub exili et frequentissimo pulsu, ac sub atroci ad occiput, oculos, buccarum musculos et tempora dolore, deliria furiosa, convulsiones et sopor et loquelae defectus et extremitatum frigus cum syncope, ac mors demum ipsa, insequuntur*).

Hoc stadium si in perfectam sanitatem terminatur, usque ad quartum quintumve diem resolutione benigna aut evacuatione critica fit. Resolutio, quae, licet rara sit, negari nequit**), exspectanda est singulari naturae beneficio vel medelae efficacia, si inflammatio haud magna, febrisque mitis fuerit neque in homine dyscrasia laborante, vel per sudorem aut urinam, vel per narium haemorrhagiam alias-

*) Joh. Pet. Frank. I. p. 87.

**) Gilibert, pract. Beobachtung. S. 226.

que evacuationes criticas, quas hic referre longum erit.

Frequentius autem in stadium suppurationis abit, quod praesertim fit, si ad sextam aut octavam diem, interdum citius nulla resolutionis signa apparuerint, nec sanguis e naribus fluxerit, sed exacerbentur dolores et de quadam pulsatione in parte affecta conquerantur aegroti. Quodsi dolor paullatim prorsus remittat et penitus fere evanescat, quamquam auditus non sit restitutus, nec susurrus in aure desierit, tumor autem pone aurem nascatur, vel plenitudinis sensus in interioribus animadvertatur, tum suppurationem jamjam peractam esse persuasum tibi sit. Quae materia aut per membranam tympani, quod plerumque fit, aut per tubam Eustachii viam sibi munire solet, vel quoque in aure restat, vicinas omnes internas et auris et cerebri partes in labem trahens.

§. 6. E vario fonte otitis profluit. Jam enim irritatio provocat mechanica, concussio, conquassatio et vulnera capitis, corpora illapsa aut intrusa aliena, pisa, fabae, cerasorum nuclei, lobula plumbea, insecta aut vermes ingressi aut eorundem ovula in aurem deposita ac caloris ope evoluta, dentitio difficilis aut dentium molarium caries, os temporum vehementer percussum*) ejusque caries, nocturna aut pocula aut studia, dyscrasia rheumatica, arthritica, scrophulosa, syphilitica, herpetica aliaeque. Cerumen

---

*) Ephem. nat. cur. Ann. II. Dec. II. Obs. 39.

qualitate mutatum, exsiccatum aut accumulatum, induratum, abusus injectionum praesertim acrium, ossiculorum auditus et processus mastoidei caries, nimia aurium munditiei cura per auriscalpia, metastases febrium acutarum, dentis molaris in pueris eruptio difficilis, exanthemata et impetigines, haemorrhagiae inprimis narium suppressae, tubae Eustachianae obliteratio, spasmi hysterici, hypochondriaci, aliaeque omnes inflammationum causae, quaecunque vel idiopathice vel sympathice congestiones aures versus efficere valent.

§. 7. Antiquissima documenta accuratae hujus morbi cognitionis illi sunt aphorismi, quos hoc loco inserere non supervacaneum duco:

Ὠτὸς δὲ ὀξεῃ ὀδύνῃ ξὺν πυρετῷ ξυνεχεῖ τε καὶ ἰσχυρῷ δεινὸν· κίνδυνος γὰρ παραφρονῆσαι τὸν ἄνθρωπον, καὶ ἀπολέσθαι, ὡς οὖν τουτέου τοῦ τόπου σφαλεροῦ ἔοντος, ταχέως δεῖ προσέχειν τὸν νόον τοῖσι σημηΐοισι πᾶσιν, ἀπὸ τῆς πρώτης ἡμέρης. — Ἀπόλλυνται δὲ οἱ μὲν νεώτεροι τῶν ἀνθρώπων ἑβδομαῖοι, καὶ ἔτι θᾶσσον, ὑπὸ τοῦ νουσούματος τουτέου, οἱ δὲ γέροντες, πολλῷ βραδύτερον, οἵ τε γὰρ πυρετοὶ, καὶ αἱ παραφρόσυναι, ἧσσον αὐτέοισιν ἐπιγίνονται καὶ τὰ ὦτα διὰ τοῦτο φθάνει ἐκπυΐσκεσθαι. — Ἀλλὰ ταύτῃσι μὲν τῇσι ἡλικίῃσι ὑποστροφαὶ τοῦ νουσούματος ἐπιγινόμεναι, ἀποκτείνουσι τοὺς πλείστους, οἱ δὲ νεώτεροι πρὶν ἐκπυῆσαι τὸ οὖς ἀπόλλυνται. ἐπεὶ ἢν γε ῥυῇ πῦον λευκὸν ἐκ τοῦ ὠτὸς, ἐλπὶς τῷ νεωτέρῳ περιγενέσθαι, ἤν τι καὶ ἄλλο χρηστὸν αὐτέῳ ἐπιγένηται σημηΐον.

(Hippocr. Aphoris. Sect. III. 13. 14. 15. edit. Paris. c. versione latina auctore Bosquillon.)

Partis affectae vicinitate cerebri gravitas, tensio partium harum petrosarum dolorosa, jam portendunt, periculosum et acutissimum esse morbum. Pauci interdum dies, affectu vel ipsi tandem cerebro communicato, vel per solum consensum ad mortem sufficiunt*). In universum morbi causa, aetas, vitae genus, corporis constitutio, epidemia, cerebri major minorve affectio, in prognosi statuenda sunt respiciendae. Levius periculum minatur, quae partes exteriores occupavit, otitis, quam quae medias et internas. Pro loco, per quem pus exitum sibi parat, sive, quod saepissime fit, per membranam tympani, sive in cellulas processus mastoidei, sive cerebrum versus, deterrimam ubique cladem parat. Mox in os temporis, malam, nares, oculum, labem prorepere, has partes maximis afficere doloribus ac ipsam paralysin, quin mortem per suppurationem encephalo communicatam sequi videmus. Quando autem pus per tympanum penetret, tum auditus ossicula, processus mastoidei cellulae destruentur; et si in aure ipsa restiterit pus, quod interdum per totam vitam curationi repugnat, variae hallucinationes, inflammationes repetitae, nec non surditatis pericula inferentur. Fere semper auditus otitide laeditur, aut susurrus aurium aut baryoecia aut cophosis restant.

§. 8. Cura hujus morbi celerrime crudescentis, tam facile in suppurationem abeuntis, ut tuto efficia-

---

*) Joh. Pet. Frank. Epit. de cur. hom. morb. I. §. 161.

tur, cito omnia erunt in usum vocanda, quae nobis suppeditantur ad inflammtiones resolvendas. Primum larga manu venam secabimus, ejusque effectum hirudinibus aut cucurbitulis cruentis, ad aures, nucham, occiput et collum admotis juvabimus. Ne vero symptomatibus minus urgentibus medicus securus venaesectionem quasi supervacaneam omittat; — topica enim sanguinis detractio in brevissimum tantum tempus levamen affert, mox eadem cum vehementia symptomata redeunt. Huc porro pertinet omnis reliquus apparatus antiphlogisticus, e cujus serie mox salina mox emetica, praesertim si sordes gastricae inflammationem alere videantur, in debilibus et exhaustis adhibebimus. Praeterea mox haemorrhoides, aut menses suppressos, aliasque haemorrhagias aut exanthemata suppressa idoneis medicaminibus revocare conabimur.

Topice ad dolores mitigandos maximo cum eventu post sanguinis detractionem sufficientem injectionibus utendum nobis erit ex lacte, decocto malvae, tum auri externae per spongium aut cataplasmatis anodyni sub forma applicando, tum, si magis interna videatur inflammatio in faucibus diutius detinendo. Non minorem exercent effectum instillationes opii cum aqua, mucilago seminum cydoniorum vel gummi arabici diluta, decoctum capitum papaveris in melle, aut radicis althaeae aut seminum lini cum herba hyoscyami, oleum amygdalarum dulcium, vitelli ovorum, hyoscyami infusum, papaveris; cataplasmata e seminibus lini, opio et melle aut camphora cum croco, inhalationes herbarum narcoticarum, per in-

fundibulum tepide auri admotae. Maxime commendat Itard instillationes e decocto plantaginis, additis quinque aut sex opii granis vel gossypium aliquot camphorae granis involutum in aurem imittendum et simul cataplasma ex herba verbenae supra aurem. Sed cave, ne injectiones prius adhibeas, quam inflammationis vis fracta sit, neque diutius quam dolor et tensio exigant, ne suppuratio aut relaxatio auris hujus curae sequela sit. Commendantur etiam ungt. mercuriale ad regionem proc. mastoidei nec non vesicatoria et epispastica ad manus, suras, nucham, tum praesertim efficacissima, si otitis e causa catarrhali aut rheumatica originem duxit, denique sialaloga, ut fumus nicotianae, piper nigrum, capsicum annuum aliaque. Non tamen nimium a vesicatoriis ad regionem mastoideam ipsam dissuadere possum, ut in hoc, ita in omnibus aurium morbis. Innumerabilia sunt exempla, ubi vesicans illic appositum tantum abfuit, ut congestionem versus cavitatem tympani et cellulas processus mastoidei minueret, ut denuo illam provocaret *). Ceterum omnis strepitus, clamor, musica, sedulo ab aegroto removenda sunt, et sicuti in ophthalmitide luminis, ita hic omnis soni detractio, non inter ultimas curationis conditiones versatur.

Suppuratio auris, quam praevenire hac methodo tamen non licuit, sollicite proliciendа et ne in ulcus impurum terminetur curanda est. Cum igitur

*) Dict. d. scienc. médical. Tom. XXXVIII. Saissy.

ex doloris augmento, pulsatione, gravitate, calore, suppurationem jam adesse agnoscamus, tum vapor tepidus, aut cataplasmata emollientia, instillationes aquae tepidae cum melle, lardi insulsi portiuncula in aurem illata, decoctum althaeae cum melle, cataplasma e farina seminum lini etc. pus versus meatum auditorium elicere valebunt. Tuba Eustachii ea quidem est via, qua pus rite pervenire posset, qui transitus gargarismatibus adjuvandus quoque est, ita adhibitis, ut versus faucium parietes ducantur, vel fumo nicotianae, naribus et ore detentis, versus tubam propulso. Attamen plerumque pus membranam tympani perforat et hic sibi viam parat. Sed periculosum est auditui, rupturam spontaneam exspectare, quod materia puriformis diu accumulata partes destruit et membranam tympani penitus lacerat. Hic perforatio membranae hanc medico praebet utilitatem, quod levissima operatione, quem sine ullo partium detrimento locum penetret, puri designare possit. De perforatione alio loco.

§. 9. Et in otitide, et in omni aurium morbo inprimis sedulo inspiciendae sunt aures, quod optime fieri poterit, dum aures versus solem aut lumen vertantur, et meatus auditorius, auriculam digitis dilatando, magis conspicuus reddatur. Quodsi in majori meatus auditorii curvatione fieri non poterit, refugiendum erit aut ad speculum, quo solis radii in meatum auditorium concentrari poterunt aut ad lenticulam cum glomo cereo, ut vult Cleland. Ita probe examinandum erit, an forte alieni quid in eadem hae-

reat, quod causa fuerit otitidi. Id enim, quidquid est, removendum est.

CORPORA ALIENA IN AURE.

§. 10. Omnis fere formae insecta et vermes in auribus reperta sunt, semper extrinsecus illata, nunquam generatione aequivoca ut in aliis corporis organis in ipsis parta. Unus modo exstat casus maxime singularis, quem narrat Andry *), ubi ascaris lumbricoides e tractu intestinorum per fauces in tubam Eustachii penetravit, ibique deterrimos dolores provocavit. Neque scio, quid obstaret, quominus in hoc organo, eadem, qua in aliis, ratione, vermes generari possint. Sed rarissime fit, quod jam ex eo patet, quod omnino in urbanis multo rarius, in rusticis autem, hisce praecipue, qui sub divo saepe versantur, hae occurrere solent affectiones.

Diagnosis, licet in accurata partis inspectione facillima videatur, nonnunquam secus est, quum vermes non raro membranam tympani penetrare, in internis auris cavitatibus latere ideoque oculis nostris subtrahi possunt. Tum anamnesis modo et aegroti examen diagnosi lucem afferre poterunt, quae si stabilita fuerit, extractione aut quovis alio modo partem ab hospitibus liberare nostrum erit. Si meatum auditorium non penitus claudunt, eumque magis motu quam magnitudine irritant, v. g. formicae aut puli-

*) Traité de la génération des vers.

ces, extractio facile succedet, aut auriscalpio assumpto aut pinnula aut forcipe acuminata aut specillo curvato gossypio involuto in ol. tereb. vel syrup. communem demisso, eoque in aurem compulso ibique sedulo verso, quo pulex vel aliud, quod intus est, animal, illud subeat, et cum eo extrahatur *), aliove denique instrumento **), aut ol. terebinthinae aut balsamo copaivae ***), aut melle illito. Idem valet meatus auditorius oleo impletus, dum aegrotus in latus affectum inclinatur, quo fit, ut corpora excidant; aut gossypium, quo impeditum deprehendatur insectum. Sin vero altius irruperint, tum neque remedia anthelminthica, neque extractio locum habere poterunt. Facilius hic erit, animalculam obterere quam extrahere, periculum quam cautissime faciendum, quippe quum hac operatione tympani membrana facillime perfodi et in ejusdem cavitatem protrudi possit corpus. Praestat hic prius blanda in aurem instillare, nonnunquam jam sufficientia, ut sponte excidat corpus aut simul profluat. Neque opus est oleis anthelminthicis, quin ob irritationem vitandis, quocirca tincturae amarae et aromaticae et olea aetherea prorsus rejicienda. Suadent quoque, sternutamenta admovere, ut, ore naribusque detentis, sub sternutationis nisu aër per tubam Eustachii exitum quaerens, aurem mediam intret, corpusque peregrinum una protrudat.

---

*) Celsus, de medic. VI. 7.

**) Bell's Chirurgie. 6. Taf. 85te Fig.

***) Itard. germ. Weimar. 1822. p. 95.

§. 11. Corpora molliuscula in aurem illapsa, ut fabae, pisa, cerasorum nuclei aliaque semina, calore et humore meatus auditorii facile tumentia, quin germen producentia, plerumque in infantibus per ludum in aurem ingesta, magnas saepe extractioni difficultates opponunt. Neque minoris sunt momenti lapides, vitrum, mox inflammationem, febrem, deliria, convulsiones, mortem ipsam facile provocantia *). Ob inflammationis vehementiam, mox prorumpentem, extractionis forsan tentamina nonnisi inflammationem augerent, et magis erit studendum, irritationi remediis antiphlogisticis et demulcentibus, cataplasmatibus emollientibus, instillationibus lactis tepidi minuendae. Plerumque cum inflammatione etiam dolor mitigatur, corpusque alienum facilius extrahi potest. Quodsi vero meatum exacte repleat, nonnulli hunc pone auriculam aperiri jubent, quae operatio a Paulo Aegineta et Albucasi commendata, a Duverney primum perpetrata est **). Sed tantum abest, ut haec incisio utilitatem quandam afferat, ut potius aurem magis laedat, inflammationemque nondum praesentem invitet, quamobrem a Fabricio ab Aquapendente jam prorsus rejecta est. Leschevin ***), et hic illam operationem contemnens, hamulum commendat, praetenuem, planum, modice in

---

*) Fabr. Hildan. Cent. 1. Obs. 4. — M. Belbeder in Journ. de Santé. Vol. I.

**) Borelli, Obs. med. phys. Cent. I. Obs. 10.

***) Des maladies de l'oreille in Mém. de l'Acad. de Chir. à Paris. Tom. IX.

apice curvatum, qui facillime inter corporis peregrini meatusque auditorii parietes aliquantum hic illic a se invicem recedentes introduci potest, affirmatque, se saepius cum successu eodem usum fuisse, ubi omnia alia remedia frustra tentata fuerunt. Et sane omnium instrumentorum hamulus et forceps maxime sunt commendandi, ita quidem, ut unimanus semper per inferiorem meatus parietem introduci debeat, ubi multo altius sine obstaculo produci poterit, duplici autem ansa compositi, altera superne altera inferne admoveatur, quod diametrus meatus auditorii verticalis diametrum transversam ambitu superat. Fabricius Hildanus, instrumentum maxime compositum, nostro „Schraubenbohrer" dicto simile adhiberi vult, vix magno cum eventu.

§. 12. Si itaque contigerit, corpora illa removere, accurate tamen aures sunt inspiciendae, utrum nihil corporis alieni in iisdem restiterit. Nam semper, dum quid intus est, in magno versatur auditus periculo, quum, corpore etiam remoto, et inflammatione et pressione membranae tympani ossiculorumque auditus surditas magis minusve perfecta non raro provocetur.

SUPPURATIO AURIS S. OTORRHOEA PURULENTA.

§. 13. Quaevis puris in aure interna accumulatio, sive post inflammationem exorti, sive in peculiari receptaculo, ut furunculo aut abscessu, formati, otorrhoeam purulentam producere valet, quae, prout ex aure ipsa vel ex vicinis cerebri partibus originem

duxerit, in **idiopathicam** et **sympathicam** distinguenda est.

OTORRHOEA PURULENTA IDIOPATHICA.

§. 14. Semper fere gravioris inflammationis auris mediae et internae sequela, cujus exitum in suppurationem non praevenire licuit, quae, quum eae auris partes ex ossibus modo constent, dissolutio cariosa ossium est. Plerumque haec destructio cariosa e cellulis processus mastoidei proficiscitur, indeque ad ossicula auditus, et labyrinthum propagatur, denique universum os petrosum corripiens, ita ut auris cavitas post mortem una modo reperta fuerit.

§. 15. Ne in errorem circa diagnosin incurramus, ob symptomata characteristica inter pus et mucum hucusque deficientia facillimum, respicienda nobis erunt cum praegressae inflammationis intensitas, tum ossium particulae per suppurationem exfoliatae, nec minus id, quod specilla argentea nigrescant. Quodsi suppuratio in cellulis proc. mastoidei modo haereat, dolor obtusus adest in hac regione, rubet paullulum, glutinosa tangitur et sub majori tactu cum digito vehementer dolet. Sin vero ad os petrosum ipsum et partes cerebri adjacentes propagetur inflammatio, omnia illa symptomata adsint necesse erit, quae in inflammatione cerebri ejusque membranarum chronicis videre solemus, cephalalgia vehementissima, convulsiones, deliria, sensuum defectiones, stupor aliaque.

§. 16. Quidquid auris inflammationem provocare valuit, idem illud via indirecta suppurationis causa

fieri potest praedisponens, praecipue autem, quae inflammationis exitui in suppurationem favere solent, ut methodus non sat strenue antiphlogistica, corporis constitutio torpida, phlegmatica, praesertim dyscrasiae, quae maxime in systema osseum influunt, syphilitica et scrophulosa.

§. 17. Quaevis auris suppuratio perniciosum ad auditum effectum exercere debet. Nam praeterquam quod ipsum pus auri alienatum et diuturna commoratione irritans auditus integritatem laedat, magis minusve organorum ad recte aëris vibrationes percipiendas necessariorum pars destruitur, ideoque hic apparatus acusticus optime constitutus deletur. Nunquam tamen in ulla internarum auris partium per suppurationem destructione de gradu praejudicari potest, quo auditum laesura sit. Non raro evenit, ut incus et malleus carie exfoliati, tympani membrana penitus destructa sit, modica tantum auditus laesione. Qua experientia eo perventum est, ut stapedis prae omnibus reliquis mediae auris partibus dignitas probata sit, quia surditatis perfectae periculum, quamdiu terminus per illum definitus ab interna aure hermetice occlusus teneretur, aquula igitur Cotunni non effluxerit, non talis momenti invenitur. In universum tamen ex altitudine eversionis suppuratione effectae et ex ejusdem pertinacia, in auditus perturbationes inde nascentes concludi potest. Surditas tum oriunda nunc internis partibus eversis, nunc obstructioni et irritationi pure factae tribuenda est, iisdemque medicaminibus amoveri debet, quae suppuratio auris per se expostulat.

§. 18. Cura hujus morbi magis palliative quam radicaliter erit instituenda. Constat enim diligentissima auris munditie, cauto injectionum primum mitium, tum leniter adstringentium, usu et periculis imminentibus evitandis. In Injectionum idonearum numero hae sunt commemorandae: aqua, aqua cum melle, infus. flor. Chamomillae, herbae Rutae cum aceto vel tinctura myrrhae, deinde Aqua Calcis, solutio Hydr. mur. corros., Zinc. sulphur., Aerugin., Kali carbonici (Unc. j ad libr. j), Decocti foliorum Rumicis acetosellae partem unam cum sextuplo mellis rosarum, vel succus sempervivi tectorum *). His apte conjungi possunt derivantia, vesicatoria, setacea, purgantia et obtegumenta calida, in summam auris salutem. Injectiones vero semper summa prudentia sunt adhibendae, quum vel lenissimae, ut olei seminum lini, effluxum opprimere maximaque pericula efficere valeant. Sin autem refrigerio, animi affectibus et intempestivo adstringentium usu vel alio quodam inhibeatur, celerrime illi revocando opera danda est. Quem ad finem ab Itard**) tanquam efficacissimum commendatur, panem, clibano modo depromtum, crusta, quo applicandus est, detracta, toti capitis lateri imponere, quam methodum trihorio quoque repeti et solutionem hydr. mur. corrosiv. gr. iij in Aq. destillat. Unc. viij in meatum auditorium instillari jubet. Accurata auris inspectio non raro ni-

---

*) Itard. l. c. p. 47.

**) eod. loc.

hil nisi mechanicum aliquod impedimentum effluxus oppressi demonstrat, quod removere nostrum erit. Si quem forte spes occupat, fore, ut internorum simul medicaminum usu, celerior ossium carie corruptorum curatio efficeretur, ei ad illa remedia refugere licet, quae contra ossium cariem famam adepta sunt, ferulacea dico, et ex his Asam foetidam cum acid. phosphor. conjunctam*), aut quod Itard magis vult**). Syrup. trifol. fibrini, cum mane tum vespere duas uncias in decocto sassaparillae. Dyscrasia autem puris effluxum alente haud addubitanda, per se intelligitur, remedia in illam versa salutarem simul in auris effluxum vim exserere valitura esse.

Et in hoc morbo moderata parumque nutriens victus ratio summum adjumentum est fausto morbi exitui.

OTORRHOEA PURULENTA SYMPATHICA V. OTORRH. CEREBRALIS. Itard. p. 40.

§. 19. Quae, auris morbis jure quidem non adnumeranda, hic idcirco tantum explicari meretur, quod in aure apparet, eoque ipso, quod aurem transitum sibi elegerit, desperatissimis hujus organi destructionibus ansam praebere potest. Quaecunque abscessus auri adjacentis evacuatio, vel puris in cranii cavitate exaggerata copia hunc morbum elicere po-

---

*) cf. Annal. ambulator. clin. Halens. ed. Pet. Krukenberg. Hal. 1824. 8. I. p. 227.

**) pag. 49.

test. Manifestatur enim omnium morbi materiarum in cerebro haerentium inclinatio, saepe in salutem inexspectatam versa, se hac via exonerandi, saepiusque talis fortuitus ex aure effluxus a trepanatione jam praeparata aegrotum liberavit. Profecto aurem ipsam mox corripi, imo quoque inflammari et suppurare necesse est, quo otorrhoeae tollendae major objicitur difficultas.

§. 20. Otorrhoea sympathica ex absoluta morborum, qui puris ex aure effluxum efficere possent, ut inflammationis dolorisque absentia facile est dignoscenda, etsi morbi, ut verbo utar, focus interdum diutissime nos lateat. Otorrhoea e cerebro oriunda, haec saepissime symptomata prae se fert. Aegrotus de cephalalgia prius conquerebatur, obtusa, tum vehementissima, pulsus tanguntur duri, pleni, deinde parvi, oculi rubent, capillata capitis pars tensa atque oedematosa est, sensus distentionis supra universam cranii cavitatem extenditur, quasi cerebrum non amplius excipere posset, sensus, nec non animi facultates, inprimis memoria, languescunt; appetitus atque vires jacent, deest somnus, et tandem superveniunt convulsiones, dolor aurium, susurrus aut surditas *).

§. 21. Quidquid cerebri suppurationem efficere valet, ut inflammatio etc., tum pseudoproductiones in illo exstantes simul causae huic otorrhoeae praedisponentes fieri possunt.

---

*) Itard, l. c. p. 41.

§. 22. Prout cerebrum ipsum ejusque partes nobilissimae morbosae illius degenerationis sedes sint, prout auris ipsa pure penetrante irritetur, prognosin quoque diversam esse oportet. Hic plerumque simul vitae ipsi exitium minatur morbus, et etiamsi ab illa propulsatum sit periculum, auris tamen vulgo tanta consumitur affectione, ut irrevocabilis auditus jactura sequatur.

§. 23. Indicationes universales ad huic otorrhoeae medendum eaedem sunt, quales in idiopathica jam prolatae. Et hic recurritur ad inhalationes emollientes, injectiones mitigantes et praecipue calidum capitis investimentum. Sin otorrhoea repente minuatur, earundem illarum, quas in idiopathica curanda praecepimus, regularum auctoritas denuo viget. Attamen omnibus illis remediis non raro deserimur, summaque opera, otorrhoeam rursus restituendi, plane frustratur. Casibus adeo desperatis Itardo *) contigit, ut altera occasione data balneo tepido per tres horas continuato, altera vero cucurbita ad aurem applicata, otorrhoeam redintegraret. Sin vero aegroti molestiae simul cum otorrhoeae decrescentia minutae sint, tum curatio speranda et in cautelam vesicatoriis remediisque derivantibus per aliquod inde tempus utendum erit.

---

*) cf. pag. 51.

CATARRHUS AURIUM S. OTORRHOEA CATARRHALIS *).

§. 23. Catarrhus aurium, aeque ac nasi, tracheae, aliorumque organorum, membrana mucosa obtectorum se habet: et hic stadium inflammatorium semper praegreditur catarrhum, ipsaque secretio et quoad quantitatem et quoad qualitatem diversissimis obnoxia est vicissitudinibus. Liceat mihi igitur, in illorum morborum numerum auris quoque catarrhum recipere.

1. Stadium inflammatorium. Symptomata constantissima hic sunt; plenitudinis sensus in meatu auditorio, mox conjunctus cum dolore, nunc gravioris, nunc minoris momenti, nunquam tali, qualem in otitide videre soliti sumus. Simul adest dolor capitis obtusus, premens; aures aut tinniunt aut obsurdescunt. Praeterea horripilationibus corripitur aegrotus et febricula maxime horis vespertinis et per noctem exacerbante. Meatus auditorius tumet atque rubet, vel levissimo tactu maxime dolet. Post unam plerumque diem, quin jam interdum post horas aliquot.

2. Stadium secundum intrat, stadium criticum. Omnes affectiones locales, inflammatio atque febris, paullatim recedunt, et summo cum levamine effluxus prorumpit copiosissimus, materiae, mox flavae, mox albidae, mox viridis, puriformis, maximo

---

*) c. f. Alard in l. c.

foetentis, quem stillicidium serosum vel striis cruentis mixtum antecedere solet. Meatum auditorium nunc inspicientes, adhuc tumentem inveniemus. Effluxus ipse post duas vel tres septimanas vulgo dijudicatur, consistentiam et odorem caseosum gignit, tum recedit et per aliquantum temporis secretio materiae ceruminosae sanitatis paullatim redeuntis fit nuntia. Sed non semper hic laetus morbi exitus observatur, et saepissime in

3. Stadium tertium s. blenorrhoeam abit. Muci secretio hic perdurat; excernitur magna copia muci crassi, mox flavi, mox viridis, intolerabilem saepe odorem exhalantis, interdum per hebdomadas aliquot, saepe menses et annos, omnem medici artem frustrantis. Nec exigua in eandem aëris constitutionis atque tempestatis vis.

§. 24. In causarum praedisponentium serie princeps est refrigerium, praecipue in hominibus fibra laxa instructis, ad affectiones catarrhales proclivibus. Huc referunt morbos diuturnos, exhaurientes, humidam aëris constitutionem, nebulosam, ut in autumno et hieme, tecta angusta, soli invia, humilia. Maxime obnoxii sunt huic morbo infantes, praesertim scrophulosi aut herpete vel tinea capitis saepe laborantes. Tum exanthemata nonnulla, ut variolae, morbilli et scarlatina, si ante eorundem exsiccationem infantes refrigerio expositi fuerant, nec minus ophthalmia scrophulosa etc. per metastasin aures corripere solent. Denique et irritatio per corpora aliena et sympathica quaedam aurium affectio hanc gignere potest blenorrhoeam.

§. 25. Licet per se periculosus non sit morbus, tamen saepissime relaxatio partium, intumescentia meatus audit. et membranae tympani ejusque induratio morbi in aurem et auditum dignitatem illustrat. Patet, eo difficilius tolli posse hanc otorrhoeam, quo diutius jam duraverit. Sponte nonnunquam subito disparet, quum membranam tympani perforet, in ejusdem cavitatem aut in processus mastoidei cellulas ruat; aut, si non secernitur, metastasis plus minusve periculosa apparere solet. Exstant exempla, quae profert Itard, ubi oculi aut cutis, semel quoque testes, in juvene, suspicione veneris prorsus carente, morbi sedes factae sunt. — Surditas ex blenorrhoea auris profecta, facilioribus est adcensenda, ejusque cura, simulac otorrhoeam tollere contigerit, et ipsa perficietur.

§. 26. Ex iis, quae modo de causis praedisponentibus disserui, cura, quomodo instituenda sit, facile intelligetur. Raro primum stadium inflammatorium sanguinis per hirudines detractionem exigit. Hic cum regimine modice antiphlogistico, illa aptissime conjungentur; quorum contra scrophulosin et affectiones catarrhales efficacitas nota nobis est. Topice diligentissima munditiei cura, simulac otorrhoea inceperit, injectionibus e lacte, infuso flor. sambuci vel chamom. efficietur. Quaevis sint experientiae boni exitus, quas proferunt Angli, Saunders et Curtis (in illis, quorum titulos index refert, libris) tamen diffidendum illis, et adstringentia cautissima manu adhibenda esse reor. Praestat curare, ne subito supprimatur effluxus, et ut universa corporis con-

stitutio ita in integrum restituatur, ut sponte recedat. Jam sola diaeta, moderationis legibus accommodata, blenorrhoeam multo posse minui, testes sunt Ephem. Nat. Cur. V. 1675. Huic est conjungendum extractorum amarorum, resinosorum usus, ut rhei, gentianae, quassiae et corticis peruviani, simul cum vesicatoriis et derivantibus. Minime probarem consilium illud Krameri*), in hoc morbo ungt. tartar. stibiat. (Dr, j ad axung. Dr. ij) ad processum mastoideum adhiberi indeque profectam suppurationem per longum tempus ali commendantis. Nam praeterquam, quod, ut alio jam monui loco, congestio inde aurem mediam versus augeatur, non minus processus mastoidei caries jure timenda videatur. Item rarissime necessitas nos urgeat, ut vult Itard, caput aegroti tondendi et multitio cerato obtegendi. Tum demum, quum per longum temporis spatium otorrhoea jam duraverit, adstringentia poterunt adhiberi, inter quae referenda sunt plumbum aceticum, zincum sulphuric. aliaque. Suppressa easdem indicationes sequendas postulat, quae purulenta.

OTALGIA.

§. 27. Otalgia chronica, dolores auris chronici, idiopathice et sympathice observatur. Pratermittendi hic sunt omnes aurium dolores ex inflammatione, e corporibus peregrinis oriundi et qui in aliis aurium

---

*) Die chron. Schwerhörigkeit. Berl. 1833. p. 40.

morbis obvenire solent. Meram neuralgiam hac significatum et sub eandem redactam volumus seriem, cui dolor faciei Fothergilii, ischias nervosa Cotunni adcensentur. Hunc morbum prius semper cum aliis commutatum, primum ab Hoffmann recte dijudicatum invenimus, quamvis et hunc de morbi natura saepius in erroribus versatum fuisse apertum sit. Distinguitur otalgia, cum atrocissimis plerumque doloribus conjuncta ab otitide, febris absentia, doloris diuturnitate, repentina exacerbatione et periodicis remissionibus *). Dolor, ut in affectionibus rheumaticis, brevissimo tempore vehementissimus fit, repente evanescit aliasque capitis partes occupat. Meatus audit. ext. neque rubet neque tumet, membrana tympani nullum symptoma pathologicum prae se fert. Tum demum, si per longum tempus otalgia aegrotum vexaverit, oculi rubent et tempora genaeque dolent, quin vires languescere, agrypniam provocare et spasmis ansam dare potest **). Aures, hoc dolore affectae, plerumque sonant, semper hic, opinor, e nimia nervorum sensibilitate.

§. 28. Causae huic morbo chronico praedisponentes hae sunt: äer frigidus, calenti corpori subito admissus, indeque nata perspirationis cutaneae suppressio, exanthematum praecipue chronicorum retrocessus, dyscrasia praesertim rheumatica, quae ad aures

---

*) c. f. Allen, Synopsis univers. medicin. pract. p. 398.

**) Itard, p. 88.

est determinata, metastasis febrilis, dens molaris, ad nervorum affectiones proclivitas, ut in hypochondriacis et hystericis, tumores saccati in aure aut pone aurem*), graviditas, ira vehemens, aliena in meatum auditor. illapsa**), intrusa, vermes ingressi, vel innati***), denique omnes fere faciei, faucium, amygdalarum affectiones.

§. 29. In senibus otalgia saepe prodromus apoplexiae nervosae vel hemiplegiae esse consuevit†). Diuturna ceterum medico atque aegroto imponitur patientia, ut hic morbus sanetur, cujus causa vera saepissime diu latet. — Auditus, nisi sensibilitas nimia ei inde impertiatur, in universum otalgia non afficitur.

§. 30. Cura hujus morbi, respecto causarum remotarum discrimine, diversissima est. Et hic auris sedulo inspiciatur, accurateque examinetur oportet, an forte alieni quid in eadem illum provocaverit. Plerumque tamen causae rheumaticae vel catarrhalis ratio erit habenda, quippe quibus saepissime originem debeat otalgia. Et tum aptissima mihi videtur cura, quae placet Itardo in omnibus otalgiis, quae ex rheumatica vel mera nervorum affectione exortae sunt, caput aqua tepida per horae quadrantem lavandi et ut evitetur refrigerium, partem capillatam pannis

---

*) cf. Itard p. 89.

**) cf. Fabr. Hildan. Cent. I. obs. 4.

***) Morgagni ep. XIV. 7. — Act. nat. cur. obs. v. 266. 50. 57. etc.

†) Vogel, Cap. I. p. 327.

asperis admodum calefactis fricandi, deinde panno aspero sicco, itidem calido, vel potius fumigationibus e succino impraegnato et multitio cerato obtegendi. Qua methodo semper fere larga transpiratione elicita, dolor vel extemplo repellitur, certe mitigatur. Quodsi crines nimis longi sint, quominus calor capiti ipsi admoveri possit, tum regionem temporalem et genas cataplasmate calido ex hba. verbenae cum farina semin. lini et melle involvendas maxime suadet. Cujus methodi effectum vaporisationibus aethereis aptissime adjuvat: Liq. anod. min. Hoffm. Driij in Aq. destillat. Uncβ soluti collocantur in vasi aqua fervida repleto, et collum calycis, quo continetur liquor, in meat. audit. ext. dirigitur, nec priusqam vaporisatio perfecta secuta sit, retrahitur; semper hoc solo medicamine magnum aegrotis levamen se attulisse, non raro otalgiam penitus sustulisse affirmat *). Non minus eidem auctori placet sapo niger, magnitudine imperialis supra corium illitus, ad tempora applicatus, cujus auxilio vehementissimam otalgiam, cum odontalgia complicatam semel se minuisse contendit. Praeterea eidem fini inserviunt decocta lignorum guajaci, baccarum juniperi, radicis sassaparillae, flor. sambuci, trifolii fibrini, rad. angelicae, serpentariae aliarumque. Huc etiam pertinent in gravioribus casibus usus praeparatorum ex ammonio, liq. ammon. acet., succinici, Camphorae etc. Epispastica et revulsria hoc in morbo mirabilem saepenumero exercento,

---

*) cf. p. 90.

effectum, itaque cucurbitulae siccae aut cruentae scapulis vel nuchae appositae, vesicatoria et sinapismi ad easdem regiones, pediluvia acria, praesentissimum saepe auxilium ferent. Raro necessitas venaesectionis arguatur, quam interdum adhiberi volunt Busserius de Kanilfeld*) et Sauvagesius**), nisi supervenerit otitis. Quodsi autem symptomata urgeant, et constitutio aegroti plethorica venaesectionem poscat, caute et parca manu detrahendus est sanguis, ne plus damni quam commodi inde prodeat. Saepe otalgiam, causa rheumatica exortam, ol. olivarum levat***), cum lacte mixtum, calideque in aurem instillatum et gossypium superadditum, ut minus refrigerio exponatur auris, vel fumus nicotianae auri immissus, mica panis calidi cum moscho, fumigationes aromaticae e succino, olibano, baccis juniperi, saccharo similibusque †); vel sialaloga, piper nigrum, capsicum annuum, rad. pyrethri, pimpinellae albae, folia nicotianae ore detenta et masticata. Sed cautus sis de adhibendis narcoticis, praesertim opio. Jam Galenus periculum novisse videtur, quod non raro post immediatam opii in aurem applicationem subire possumus, et in omnibus auris doloribus opium prorsus rejiciendum censet. Zacutus Lusitanus historiam narrat de Hispano quodam, qui post incautum opii in aurem usum, primum convulsivus, dein maniaticus

*) Institution. pract. med. I. p. 321.

**) I. p. 73.

***) Vogel I. p. 425.

†) cf. Fr. Hoffmann, Cap. I. §. 2. pag. 337.

factus, tandem mortuus sit, et alii multi auctores valde monent, ne aegrotum nostra culpa summis exponamus periculis. Sin vero dolores ad ejus usum invitant, in emplastri opiati forma ad tempora aut proc. mastoideum potius id applicare praeferemus. Afri*) contra otalgiam Crinum americanum, (Crinole amerique) gossypio involutum, optimo cum eventu usurpant. Balnea fere nunquam hic profuerunt. — Otalgia sympathica, quoad causas praegressas, curae indicationes facile nuntiabit. Itaque exanthemata retrogressa, vel arthritidem, vesicatoriis, sinapismis, balneis, frictionibusque cum panno aspero, inunctionibus linimento volatili, camphora, sulphure revocare conabimur. Otalgiam a dente cariosa exortam ipsius evulsione curabimus; tumores saccatos vel cysticos, qui pressu nervorum morbum genuerunt, exstirpabimus; nimiam nervorum in hystericis et hypochondriacis sensibilitatem antispasmodicis leniemus etc.

DE DYSOECIA, BARYOECIA ET COPHOSI.

§. 31. Vix iterata commemoratione opus est, integri auditus possessionem non ultimum inter beate vivendi conditiones locum obtinere. Omnium voluptatum, ex uberrimo societatis cornu profusarum, omnino expers, miser ille paullatim vel provectiore aetate aureo illo dono privatus, in tacitae noctis solitudinem remigrat. Naturae voci nusquam ad eum am-

*) cf. Flore pittoresque et médicale des Antilles par Descourtilz. Paris, 1829. pag. 118. c. fig.

amplius aditus patet, semperque animo commoto, vincula a fato sibi circumdata frangere frustra tentanti, illius temporis obversatur memoria, quo integra adhuc auditus possessione gaudebatur. Quis igitur miretur, quod fortunam amissam nunquam sibi reparari posse dolens, spe atque animo deficiat, moestumque totius mentis induat quasi colorem. Beatus vero ille, cui, quo magis mundus externus occludatur, eo profundius mens ipsa aperiatur, quique ex literarum fonte perenni eam animi tranquillitatem et securitatem hauriat, qua nisi cum summo incommodo egere nequit. At proh! miserum, cujus ingenium luci prius non patuerat, in cujus corde sensus illi vulgari amoris ardore et odio sublimiores nunquam radices egerant. — Vastissimum illi detegitur barathrum, in quod fato inevitabili praecipitatur, quum primum auxilio orbatus sit organi illius, humanitatis vocem ad aurem provehentis.

§. 32. Non eadem omnibus hominibus audiendi est facultas. Sunt enim, quorum auditus nunquam ad perfectionis fastigium propius accesserit, dum singularis quaedam in aliis auditus subtilitas maximam commovet admirationem. Facultate igitur audiendi tam variis numeris distributa, quum certa, omnibusque hominibus communis norma plane absit, eo religiosius signa nobis observanda sunt, quae surditatem paullatim nascentem seu majoribus seu minoribus intervallis antecedere solent. Summa vero humanae auris perfectibilitas hoc elucet, quod, quamvis multorum animalium auribus superetur, illa sola ex pluribus instrumentis vocibusque, una aurem tangentibus

seque continuo excipientibus, singula quaeque instrumenta, ut singulas quasque voces, distincte valeat discernere, imo quoque, si ad altiorem jam perfectionis gradum pervenerit, singulos sonos ex mutua, quae inter eos constat, ratione judicare. Neque difficulter erit intelligendum, infirmitatem auditus, si modo auris in eo est, ut viribus deficiat, ibi primum prodire, ubi maxima organi perfectione opus sit, auditumque tum potissimum munere suo fungi desinere, quum maxima intentio adhiberi debebat, — in difficultate nempe, in communi atque vivaci colloquio versandi aut cantum musicae adaptatum numeris simul percipiendi. Primum surditatis initium semper fere hominem latet; vix tibi ipsi persuadere poteris, te aliis difficilius audire. Tum morbus diversissimos facit progressus, nunc pedetentim usque ad omnem auditus abolitionem augetur, nunc, per multos annos in eodem gradu moratus, repente in pejus vertitur, nunc exigua sed pretiosissima auditus particula usque ad ultimam senectutem restat. Adjuvatur autem surditatis incrementum vel maxime senectute, animi perturbationibus, vehementibus corporis contentionibus et frigida ac humida aëris constitutione. Nulla autem corporis evolutio, neque pubertas, neque mensium fluxus intrans, quales in omnes fere, praesertim chronicos, infantiae morbos vim exercent, ullo modo surditatem in melius mutare valent. Duplici triplicique ossium receptaculo inclusa auris ob momentum ipsi vindicandum maxime ab externis tuta quidem est influxibus, attamen eadem ingrata salubribus remediis adhibendis impedimenta opponens.

§. 33. Cerebri vicinitas, tam physiologice quam pathologice, arcto cum auditus organo connexu comprehenditur. Nec raro occasio praebetur videndi, homines, dum sollicitis incumbant meditationibus, omnino non audire. Omnes porro graviores cerebri morbi, ut apoplexia, epilepsia aliieque, raro sine ulla in auditum vi manent, nec minus constat, auditum amissum simul memoriae infirmitatem involvere, et ingenii contentiones atque animi perturbationes maximam in surditatem exserere vim. Ex intima vero illa auditus cum nervorum actionis motore consensu, mutuaque, quam prae se ferunt, ratione, et ex alto, quem cerebrum obtinet gradu, e difficultatibus denique, quae morbis illius amovendis obstant, illae quoque aperte intelliguntur, quibus cura morborum auditus retardatur. Iam per se liquet, haec curae impedimenta a mali auditorii e cerebro origine justo numero pendere, nec illos auditus morbos, quorum fontes in auris partibus sint quaerendi, amplius ad cerebrum referendos, sed tanquam solas integrarum physiologicarum horum organorum actionum perturbationes esse judicandos, quibus remotis atque sublatis, organa, prius malis affecta, solitis officiis fungi perrectura sint.

§. 34. Antiquissima et acerrima lis in eo versatur, utrum visus amissus magis dolendus sit auditus ve. Quid? quod vulgo coecos anteponant surdis, judicantes, illis quidem magnum voluptatum fontem visu amisso ademtum esse, at a fraudulentis rerum nos circumdantium illecebris liberatis, idearum quasi mundum aperiri, praestantissimarum voluptatum ple-

num, quas divina illa vis auri admoveat, cantui atque musicae insita, et saepissime coecos ad incredibilem fere harum artium peritiam provehens. In surdis vero, longe aliam esse conditionem, iidem contendunt: Surdos enim, quippe quibus externus appetentiae et libidinis sensus, solum quo cum mundo contineantur, vinculum sit, innocentiae vocem plane non audire, visuque satisfaciendo humanae vocis sonum sibi prorsus ablatum supplere tentare. Fac vero, hoc opprobrium justum sit, tamen nisi ad surdomutos natos spectare non potest, quibus nunquam vox amica pectus tetigit, qui ne semel quidem avium cantilenam, infantis lallationem, blandas parentum allocutiones audierunt. — Auditus porro jacturam graviorem esse credunt, quod surdi coecis tristiores inveniri soleant. Nec inficias ibo, surdum in societate versantem, fatalem sibi sortem esse sortitum, quippe qui eo ipso careat, quod societatem formet atque contineat. — Colloquii, cujus ne tantulum quidem percepit, expertem, nonne desiderium occupet, locum mox relinquendi, maxime ad calamitatem in memoriam suam summo cum dolore revocandam idoneum. Tali modo, harum voluptatum inopiae sensim sensimque adsuefactus, aut ab iis recedit aut parum eas aspirat, dum coecus aeternis circumfunditur tenebris, primumque expergescentis aeque ac ultimum indormientis momentum semper irritum desiderium, amissum obliviscendi visum, denuo emergere jubeat.

§. 35. Tactui soli facultatem vindicari posse reor auditus jacturam aliquantulum pensandi. Illi enim

soli, in surdomutis certe, tantum, quanto opus est, acumen inesse contendo; accuratiori enim animadversioni, qualem Itard *), se in surdis reperisse affirmat, et cujus causam, sane probabilem, eam statuo, quod surdi observantes ne minime quidem rebus auditui propositis abstrahantur, sensus nomen indere nunquam in animum inducam. Jam vero insigne acuti, quem surdomuti manifestant tactus, documentum elucet ex hoc puerorum surdomutorum exemplo, apud Ern. Ad. Eschke (in libro, cujus titulus praefixus est) tradito. Pueris enim illis sententia Sprengeri libro occurrens, surdomutum galvanismo pulsationem in mortario audire, risum excitabat effusum, donec scribendo proferebant, hanc sane surdis inesse facultatem, tantum vero abesse, ut audiatur illud, ut sentiendo percipiatur.

§. 36. Omnia surditatis genera, sive connata, sive post aurium morbos relicta sunt sive aliunde causas ducunt praedisponentes, ita distinguenda mihi placuit:

A. Surditas e causa mechanica exorta.

B. E causa organica.

C. E causa dynamica.

A. SURDITAS E CAUSA MECHANICA EXORTA.

§. 37. Cum auris, tali modo comparata, ut vibrationes aëris extrinsecus admotas excipere, iisque

---

*) cf. p. 217.

liberum patefacere transitum idonea sit, haud difficile est comprehensu, impedimento quodam, quominus illa rite procedant, inhibente, aurem in muniis suis obeundis coërceri. Quo fit, ut auris nostra, nisi integritatem suam exuendi periculum incurrere patiamur, aëri ingresso resistentiam faciat omnino non supprimendam, quam maxime adjuvat aër in cavitate tympani contentus. Summo igitur jure Itard et Saissy maximum momentum in eo ponendum judicant, quod aër, ore naribusque clausis exspiratus, sine ullo impedimento usque ad membranam tympani penetrare possit, praeterea Saissy, Deleau aliique apta medicamina statim ad tubam Eustachianam adhibita maximi faciunt. Haec quidem aequilibrii inter aërem externum eumque, qui cavitati tympani inest, conservatio, variis turbari potest morbis, ut tubae Eustachii obliteratione, ejusque per mucum, sanguinem, pus obturatione, magis minusve surditatem inducentibus. Neque minor ratio habenda est potentiae, quam membranae tympani integritas in distinctam sonorum perceptionem exercet. Natura enim nihil vani formavit, neque nos, si forte nonnullae humani corporis organorum functiones subtile mentis nostrae acumen fefellerint, temere illa supervacanea conjicere decet. Fateamur potius, nos ratione nostra hebeti impediri, quominus hujus rei cognitionem imbuamus. In aure praesertim ejusmodi difficultates nobis objiciuntur, nec quaestionibus quamvis diligentissimis maximorum cujusque aetatis virorum contigit, ut harum partium physiologiae clarae accenderentur faces. Multorum demum annorum sol-

lertissimum studium his naturae mysteriis velamen forsan detrahere valebit. Parum abest, ut interdum naturam inutilis accusemus luxuriae, si de nonnullarum partium utilitate persuasio nobis desit, nec absentibus quoque ullam omnino organi functionum perturbationem natam videamus. Sane vehemens auris suppuratio, gravi in auditum vi nusquam apparente, saepenumero perfectam membranae tympani ossiculorumque auditus destructionem gignit. Etsi vero animadvertamus, naturam, matris instar providenter nulli sumptui pepercisse, ut tenera nostri corporis organa a noxiis virium externarum influxibus defenderentur et idcirco tantum tenuem superciliorum seriem adesse, tamen nostrarum partium structura adeo sapienter est comparata, ut inferiori huic potissimum fini organum proprium respondere non videatur. Credi igitur non potest, membranam tympani nihil nisi terminum inter aurem externam et internam constituere debere, licet perforationem ejus saepe salubrem experiamur. Ubique occulta aenigmatum sententia vel sapientissimo vix evincenda, eruatur necesse est. Quam diu vero in hoc labore Tantalum imitari coacti simus, contentis nobis esse licebit, naturae numen perscrutari, talique via ad omnium rerum finem ac quasi limitem accedere.

§. 38. Nunc vero ad singulas perturbationes redeamus et materiarum dispositionem supra allatam sequamur. Exordium igitur faciendum erit a:

MEATUS AUDITORII EXTERNI CONSTRICTIONE.

Silentio quidem non praetermittenda, attamen obiter tantum commemoranda erunt illa meatus auditorii vitia congenita, quae saepissimae surdomutitatis causae existunt. Meatus enim auditorius nunc evolutione retardata prorsus deficit *), nunc ossei parietes seu omnino seu maximam partem coaliti inveniuntur. Boyer applanationem quoque meatus auditorii vitiis congenitis adjicit.

Quaeque auris suppuratio, aurium blenorrhoea, corpora aliena diu in meatu auditorio commorata, illique per extractionis tentamina subnata irritatio, relaxationem membranae procreant, quae tumens meatum auditorium angustiorem reddit. Hic porro aptus designari potest locus exanthemati herpetico, quod saepe, omnibus remediis resistens, meatum auditorium denuo semper replet. Tandem observavit Larrey **) ejusdem applanationem, si dentes molares jam in juventute extracti sunt, vel exciderunt.

Intumescentia meatus auditorii tam intuitu, quam speculo Clelandiano ***) detegetur. — Si meatus auditorius prorsus deest, et auricula plerumque non existit, nulla adest apertura, et si regionem tempora-

---

*) cf. Saissy in Dict. d. sc. médical. T. 38. p. 29.

**) cf. Journ. complément. du dict. des scienc. médic. T. XIII. p. 308.

***) philosoph. Transact. 1741. p. 126.

lem manu stringis, ubique os tanges, quo nobis probatur, nullam existere aperturam ossis temporis. Nonnunqum adest quidem, sed universali capitis obtegumento, ita, ut saccum coecum formet aut alia quadam membrana, non a cuti faciali proficiscente, peculiari obtegitur.

Ubi meatus auditorius externus plane deëst, auxilium nullum; quae evolutio imperfecta cum tantis aliis vitiis congenitis, ut hemicephalo etc., conjuncta esse solet, ut vita miserrima amplius trahi non possit. Itaque infantes aut sub partu aut post eundem mox vitam intolerabilem relinquunt. Imperforatio vel atresia hujus meatus, quum a parte ossea exoriantur, non minus insanabiles sunt. Eo laetiorem prognosin intumescentia e relaxatione praebet. — Atresia meatus auditorii semper cum perfecta surdomutitate conjuncta est; ejus tamen constrictio, vel extrema, nullius gravis auditus depravationis fons est, sed susurrum continuum gignit.

Nobis non nisi contra acquisitam per morbos meatus parietum relaxationem certa in promtu est medela, quae tamen horum morborum curae non consociata esse non potest, e quibus orginem duxerit. Praecipue adstringentia hic salubria se praestant. Ubi igitur otorrhoea purulenta vel blenorrhoea auris sponte recesserunt, aut in hominibus cacochymicis, scrophulosis, relaxatio talis restitit, tum injectionum adstringentium usus, vel minus cautus, hanc mox tollere valebit. In majoris momenti constrictione spongia cerata in meatu collocanda commendant.

DE POLYPO AURIS.

§. 39. Sicuti in omnibus corporis cavitatibus, membrana mucosa vestitis, ita in meatu auditorio, pseudoplasmata, polypi aliaeque metamorphoses prodire possunt. Oriuntur hae productiones morbosae aut in anteriori meat. audit. parte, aut tam profunde, ut auris, ope speculi, inspectio ad eas dignoscendas necessaria sit. Plerumque singuli deprehenduntur polypi, sed non raro ad coronae speciem circa meat. audit. coacervati sunt. Quoad texturam, aut sarcomatosi sunt, duri, fibris instructi, aut bullosi, molles, nitidi, coloris grisei, post exstirpationem mox denuo sese reproducentes.

Dignoscuntur polypi, absentia doloris, si tangantur specillo, eoque, quod mox sanguinem emittunt. Non raro polypus otorrhoeam purulentam producit, tum nonnisi accurato auris examine de morbi natura explorati ac certi aliquid habere possumus.

Semper fere auris polypi laxitatem, mollitatem et degenerationem membranae meatum auditorium investientis fungosam subsequuntur, quamobrem facile recrudescunt et curam radicalem difficilem reddunt. Melior est prognosis in bullosis, quam sarcomatosis, degenerationi carcinomatosaem agis subjectis. Tamen nulla veri in aure carcinomatis observatio exstat, nam de illa, quam profert Chr. Ern. Fischer (cf. indicem librorum), vehementer dubitandum est, ne diagnosis falsa fuerit; certe tam parum adumbrata est, ut ex illa nil liqueat, quam quod aegrotus animo dejectus, morosus, usu spiritus vini hilarior fac-

tus sit. Fabric. Hildanus exemplum affert polypi auris, magnum acquirentis volumen et ad degenerationem carcinomatosam appropinquantis.

Quinque contra hunc morbum methodi commendatae sunt; exsiccatio nempe, cauterium, excissio, resectio et ligatura. Maxime in usum vocantur exsiccatio et ligatura. Ad exsiccandum polypum adhibemus Tincturam opii crocatam vel solut. aluminis (Dr. j in Unc. iβ*). In petiolatis ad ligaturam recurrimus. Cauterisatio per cauterium actuale hic nimis periculosa sit, praeferenda potius potentialia, ut solutio lapid. infernalis, butyri antimonii aut acidi nitrici concentrati**). Resectio ob difficultatem tam alte cultro penetrandi rarissime veniat in usum.

DE MORBIS CERUMINIS.

§. 40. Cerumen, secundum chemicas analyses praecipue ex oleo amaro et albumine compositum, magnam cum bile analogiam demonstrans, ita ut Sprengel***) intimam inter bilis et ceruminis secretionem connexum adesse credat, et quantitate et qualitate mutari, ideoque multos aurium et auditus morbos procreare valet. In universum tenuioris est consistentiae apud minores natu, sed majorem in his acri-

---

*) cf. Hufeland's Journal, plurib. loc.

**) cf. Trampel, wie erhält man sein Gehör gut? u. s. w.

***) Instit. pathol. II. p. 401.

moniam gignere et irritationem dolorificam excitare potest, nisi statim auferatur. In adultis senibusque saepe induratur, coacervatur et cum pulvere in aëre circumvolitante concretiones format, meatum auditorium penitus claudentes itaque auditum tollentes. Difficile sit dijudicatu, utrum cerumen, simulac parva ejusdem copia secreta fuerit, removenda sit, ut auris integra maneat, an consilio naturae amplius idoneum, nisi copia molestum, in praesidium partium relinquere. Equidem opinor, modicam ceruminis secretionem idem auribus convenire, quod lacrymarum oculis; et sicuti nemo in animum inducat, lacrymas sedulo oculis subtrahi debere, quia mox deinde exsiccarent, ita quoque, nisi qui stulte agere sibi proposuit, cerumen aurium, simulac aliquantulum secretum fuerit, nemo tollet. Noli aurem tangere sanam. Ejusdem partes, ex ossibus membranisque constantes maxime egent cerumine, ut rigiditas non tanta fiat, qua sonorum perceptio impediatur. Cerumen ob integritatem auditus secernatur necesse est. Tum demum licebit et necesse erit illud removeri, si aut tanta copia accumulata fuerit, ut meatum auditorium occludat, aut a qualitate sana quodammodo recesserit. Diagnosis erit facillima, conspectus enim ipse jam morbum demonstrat. Quodsi cerumen induratum et concretum altius in meatu auditorio haereat, isque magis curvatus et sinuatus sit, tum ad speculum refugere nos oportebit, quo mox illud occurret. Symptomata vero huic morbo quibus ab aliis concretionibus dignoscatur, peculiaria haec sunt; quod, si tangitur cerumen specillo, non doleat, sique pro con-

sistentia magis minusve, quominus altius penetret, resistat, vestigiaque in eo relinquat.

Semper causae, sive in aure ipsa sive in reliquis corporis partibus has ceruminis depravationes promoventis ratio erit habenda, illique nostra curandi methodus opponenda; vix enim, statu hominis sano in tantam molem indurari posse cerumen crediderim, unde in auditum detrimentum incidat. Simul id observandum, num diu jam in aure moratum sit cerumen, quum membranam tympani tum saepe irritet, perforet cavitatemque tympani evertat.

Inter omnes surditates, ea, quae morbis ceruminis, praesertim hoc accumulato, profecta est, facillime sanari potest, excepto ceruminis defectu, pro causis praedisponentibus diversissimis medicaminibus curando.

Extractio concretionum, cerumine effectarum, facile omnino auriscalpii ope fit. Sin vero tam durae sint, vel meatus auditorii parietes tam arcte circumscribant, ut auriscalpio comprehendi nequeant, haud magni negotii erit, injectionibus aquosis, oleosis nec non salinis, balneis tepidis ac vaporeis russicis, saponaceis emollire paullatimque solvere.

DE MEMBRANA TYMPANI.

§. 41. Leschevin in neonatis, membranam tympani dicit, extrinsecus membrana squammosa crassissima opertam esse, quae postea suppuret; eamque in membrana tympani permanentem certe surdi-

tatem afferre *). Bonetus quoque et Laurentius Lanzoni ejusmodi exempla**) narrant. Quamvis autem Portal***) dubitet, quin haec membrana adsit, et rarissime occasio detur, neonati aures perscrutandi, non est tamen, cur illius opinionem, experientia non minus firma nixam, quam membrana pupillaris, negemus. Meatum auditorium diligenter inquirentibus in imo ejus recessu membrana rubicunda, squammosa apparet, quae, specillo tacta, vel parum vel nihil doloris perpetitur, eoque a membranae tympani polypo differt, quod illa vitio existit congenito, prima igitur aetate prodit, totamque meatus auditorii occupat basin. Leschevini propositum, hanc pseudomembranam, si cognita sit, injectionibus acribus suppurationi tradendi aut causticorum ut lapid. infernalis tactu exsiccandi, ob laesionem membranae tympani subjacentis timendam repudiandum est, cui Saissy remedium multo tutius, perforationem membranae tympani, praefert†).

§. 42. Intumescentia et induratio membranae tympani, saepissime vehementis cujusquam otitidis, otorrhoeae purulentae vel auris blenorrhoeae, metastasium post exanthemata, ut variolas, morbillos, exortarum, vel interdum, sed raro ††), senectutis se-

---

*) cf. Prix de l'Acad. de Chirurg. Tom. IV. 4.

**) cf. Ephem. Nat. Curios. p. 1.

***) cf. Précis de Chir. prat. p. 477—711.

†) cf. Dict. d. sc. médical. T. 38. v. oreille.

††) cf. Itard, p. 291.

quela, si adhuc recens sit, simul cum morbis illis evanescere potest. Sin vero jam inveterata sit, surditas inde profecta nullo modo tolli potest, nisi perforatione. Dolendum autem est, quod meatus auditorius saepe curvissimus, et error facillimus, tot diagnosi opponat difficultates, ut cautus medicus malum, quod recte dignoscere nequit, intactum relinquere praelaturus sit.

DE PERFORATIONE MEMBRANAE TYMPANI.

§. 43. Ecce aptissimus huic operationi tractandae locus. Jam medio saeculo decimo septimo, a Riolan, dein a Cheselden *) et Bussonio **) indicata, primum ab Eli quodam Helvetio (1760) instituta est. Tum ab Himly ***) commendata et ab A. Cooper (1806) eo facta consilio, ut in obliteratione tubae Eustachii, commercium inter aërem externum et in cavitate tympani versantem restitueretur, hujus saeculi initio a multis exercita est atque exculta. Himly, Michaelis, Herold, Rust, Zang, de Gräfe aliique saepissime eam amplexi sunt. Tamen, sive quod contra quamvis surditatem adhibita, sive temere facta est, fere oblivioni est tradita, ne novissimis

*) cf. Anatomy of human body.

**) cf. ergo absque membr. tymp. apertura topica in concham injici possunt.

***) cf. Commentat. de perforat. membr. tympani. Goett. 1808. 4. — Himly's Ansichten in neue Bibliothek für die Sinne. 1s Hft. 1819. Honnover u. s. w.

quidem temporibus cessanti. Itard *), quamvis saepissime hanc instituerit, semel tantum effectum optatum inde prognatum vidit. Tantum vero abest, ut idem ille perforationem membranae tympani oblivione obrui velit, ut in hac sibi refugium, si minus certum, tamen ullum sibi servet.

Praecipue curandum est, ut indicationes certe sint terminatae, ne operationi detur vitio, quod medici est. Itaque hae sunt:

1. Fluida in cavitate tympani coacervata, quae diuturna in eadem commoratione partes laedere valent, ut post otitidem etc.

2, Membranae tympani induratio.

Operatio ipsa ita instituitur. Post perfectum lacte tepido, aqua saponata aliisque, meatum auditorium externum accurate purgatum luci obvertitur, adhibito simul aut speculo Clelandi, aut speculo cavo metallico secundum Buchanan, aut duobus speculis metallicis, ut placet Deleau, quae candelabri lumen in meatum auditorium reflectant, aut tandem globo vitreo, ab Arneman usurpato, quali sutores utuntur. In operatione per se facillima, id modo cavendum est, ne ille laedatur locus, quo manubrium mallei insitum est, et ne coalescat vulnus in membrana factum, mira celeritate se reproducente. Unde instrumentorum obtusorum commodum intelligi coeptum est. Huc pertinent praecipue culter triquetrus vaginatus Cooperi, ille Rustii, „emporte-

---

*) cf. p. 319.

pieçe“ Himly et Graefii, perforator tympani a Deleau adhibitus aliique. Perforatur autem anterior, inferior membranae pars. Itard aliique eodem ipso momento strepitum, pergamenis ruptis non dissimilem se audisse contendunt, quem nunquam audivit Kramer *). Nonnunquam statim post perforationem auditum recuperat amissum aegrotus, neque mirum, quod soni tam diu ab aure remoti nunc denuo illum tangentes per aliquot momenta eam obtundunt. Ad cicatrisationem vulneris evitandam, optimum videtur, specillum plumbeum in aperturam factam inducere, vel, quod magis placet Itardo**), biduo quoque aperturam specillo tangere. — Maxime de hujus operationis dignitate inter se discrepant auctores, quin Duverney affirmare non dubitat, semper auditum hac frangi, dicens: „L'ouie se conserve, mais elle s'affaiblit insensiblement, et elle se perd enfin tout-à-coup.“ Cujus causa praecipue in cognitione indicationum imperfecta quaerenda est, neque igitur praetermittendum est commodum, quo fruimur, quum membrana tympani, indicatione haud postulata, perforata post dies aliquot sine ullo fere cicatricis vestigio coalescat, et ter quaterque operatio repeti possit, si primo, ut aperta teneatur, non contigit. Operationem ipsam cur tanquam periculosam ducamus, prorsus me latet; otitis, aliaeque auris affectiones tum modo eam insequentur, si medici

---

*) cf. Die chron. Schwerhörigkeit. p. 78.

**) cf. pag. 322.

manus minus fuerit tuta. De indicatione incertis, proposuit Himly experimentum non nocivum, in membranam tympani aculam infigendi; tum modo, si auditus eo firmatus sit, ad ipsam refugere suadet perforationem.

§. 44. De membranae tympani flacciditate. „Le temps froid et humide est contraire au traitement de l'organe de l'ouie;“ jure dicit Saissy*). Aëris diversa constitutio ejusque repentinis vicissitudinibus exortae rheumaticae affectiones maxime in aurem et auditum influunt. Itard cerumen huic inservire censens, ut membrana tympani ab aëris vi intacta maneat, ejusdem flacciditatem et quae ex eadem nasci dicatur, surditatem negat: attamen experientiam secuturi, neque morbum neque effectum confutare possimus.

Causae hujus affectionis sunt: constitutio aëris humida, venti australes, blenorrhoea auris, otorrhoea purulenta, vitia ceruminis omniaque haec, quae tonum auferre possunt organis. Saissy etiam invenit in puellis chloroticis, menstruationis ataxiis laborantibus, et in musculorum helicis et ossiculorum auditus erosione. Cf. Valsalva de aure hum.

Cujus mali symptomata ex his momentis pathognomicis derivari possunt. Si itaque post catarrhum aut post vaporisationum emollientium abusum dysoecia intravit, si porro coelo nebuloso atque pluvioso exacerbatur, sicca autem minuitur, si venti australes surditatem augent, dum septentrionales mi-

*) Dict. d. scienc. médical. T. 38. p. 60.

nunnt, si denique remedia aromatica, tonica et leniter adstringentia optimo conducunt, tum certus fies, relaxationem adesse membranae tympani. Huc etiam referendi sunt casus, quos profert Willisius*) de muliere, quae non alio modo verba loquentis intelligebat, nisi circum crepante tympano; tympanistam domesticum conducere coacta est, qui tympanum pulsabat, simulac cum marito collocuta est. Idem fere accidit nobili ab ortu surdastro; is a tergo submissus loquentes capiebat, sonante tympano, secus vero ne clamantem quidem intelligebat. Tertius prope campanile degens, tacentibus campanis nil distincte audiebat. Quartus, nisi rheda velata vehebatur, cum adstantibus colloqui non poterat, eorum verba non capiens**).

Auxilio hic erunt in universum ea, quae membranarum musculorumque tonum restituere valent. Huc pertinent vapores decoct. herb. Card. Bened., flor. Irid. florentin., herb. Majoran., Melissae, Sem. Anisi, foeniculi, herb. salviae, rutae, rorismarini, baccar. juniperi, decoct. caryophyllorum aromaticorum in vino hispanico, in meat. auditor. extern. instillati, nec non aquae thermales aëre carbonico impraegnatae. In similem usum etiam trahitur spiritus vini, tra. castorei***), ol. laurinum vel caryophyllorum et cinnamomi. Decoctum chinae in eundem finem

---

*) cf. de anima brutor. P. I. c. 14. p. 108.

**) cf. philosophical Transactions. No. 35. — Holder, Elements of Speech. p. 160. — Sauvage l. c. p, 757.

***) cf. Burser. de Kanilfeld. l. c. p. 289.

maximum exercuit effectum, vid. Saissy, sed cautissime ob vim adstringentem adhibendum. Lieutaud *) laudat granum moschi vel ambrae griseae, gossypii beneficio auri inditum, quod remedium nonnullis etiam senibus optime successisse fertur. Allen **) summopere commendat formicas in succo ceparum contusas, vel hunc succum simplicem aqua dilutum. Chlorosi et statui pituitoso corporis remedia idonea opponenda erunt.

§. 45. De membranae tympani rigescentia. Duverney, Leschevin et Saissy experientia docti sunt, nimiam hujus membranae tensionem saepe surditatis causam fieri, eamque omnibus febribus gravioribus, inflammationibus praecipue encephalitidi et anginis supervenire, aut sicca aëris constitutione sponte nasci. Itard semper cum hoc statu directionem ossiculorum auditus a statu sano abalienatam conjunctam esse censet ***). Magis hi laeduntur aegroti flantibus Aquilone et Borea, meliusque se habent sub Austri vel Africi imperio †), minus audiunt clamorem magnum quam vocem exilem prope aurem editam. — Surditas, ab hac nimia membranae tympani rigiditate cito diaeta tenui, humectante curatur, balneis frequentissimis, fomentis, vapore aquae tepidae injectionibus emollientibus, oleosis, blandis, ut oleo amygdl. dulcium recenter expresso, in

---

*) l. c. p. 359.

**) Synops. etc. p. 399.

***) Itard. S. 15.

†) Haller, elem. physiol. Vol. V. p. 198.

aurem instillatis; nec non frustulum lardi insulsi auri immissum commendatur.

DE TUBIS EUSTACHIIS.

§. 46. Tubae Eustachianae, quibus efficitur, ut commercium inter aërem cavi tympani cum aëre externo sustineant, utque aër cavi tympani facilius myringi oscillanti cedat, et ejusdem semper sit elateris cum aëre externo, nunc parietibus vitio congenito concrescentibus nunc inflammatione, catarrho vel eas ipsas vel organa vicina invadentibus, diversis affici possunt morbis, et multas auditus perturbationes eliciunt. Heroldus Hafniensis, disquisitionibus anatomicis in animalium embryonibus institutis, cognovit, tubas Eustachianas in foetu, in utero adhuc versante, liquore amnii et muco adeo impletas esse, ut, ex illius sententia, aequilibrium constituatur inter liquores externos et internos, sine quo membrana tympani per aquam foetum circumdantem pressum pateretur. Cui observationi magnum eo accedit momentum, quod surdomutitatis causam aliquam, diu nobis occultam, nos docet. Morgagni et Cooper observationes nobis tradiderunt, ubi post concussionem capitis vehementem, haemorrhagia in cavitatem tympani et tubam Eustachii intrante, sanguis coagulatus in illis inventus est. Arnemann exemplum profert, quo tubae Eustachii, cavum tympani et processus mastoidei cellulae massa cretacea refertae fuerant. Trnka de Krzowitz narrat: „Wathen refert historiam viri 35 annorum utraque aure surdi, cui rei occasionem refrigeratio corporis dedit, nec varia per plures

annos adhibita remedia malum tollere quiverunt, donec tandem homo ex variolis decessit. A morte nihil uspiam in organis acusticis est repertum, praeterquam in solis tubis, quas mucus duratus ex toto opplebat.“

§. 47. Ut certiores fiamus, tubas Eustachianas metamorphosin morbosam praebere, vel experiendum est, ore naribusque occlusis aërem fortiter exspirare et animadvertere, num et ubi aëri impedimentum objiciatur, vel, ut Kramer*) magis vult, fide ex intestinis facta utendum. Quodsi haec obliteratio cum ozaena syphilitica conjuncta, sive post gravem exanthematis scarlatinae decursum **) relicta sit, jure in tubae parietum concretionem, vel, dyscrasia syphilitica in latius gliscente, in tubae osseae intumescentiam concludi poterit. Ictus vel lapsus in caput, quem illa secuta fuerit obstructio, catarrhus praegressus, otitis, meritam sententiae auctoritatem parare sufficiunt, sanguinem, mucum vel pus adesse. In infantibus, nullo morbo praegresso, congenitam suspicari, vero proximum sit. Inflammationem tubae autem jure conjicere licet, si in hiando, masticando, glutiendo et mungendo dolor in illa obtusus animadvertatur, si surditas non admodum intensa sit et per momenta dispareat. — Omnia denique, quibus ostium tubae occludi potest, ut amygdalarum intumescentia, polypo nasi etc. haud raro non parum difficile est

*) cf. die chron. Schwerhörigkeit.

**) cf. Hufeland, v. d. Scrophelkrankheit p. 209.

rite dignotu. Amygdalae praesertim tam parum saepe tument ut, num earum ambitus normalis an morbosus sit, in incerto versetur et dubium, an his ostium tubae obstruatur. Nulla alia re hic lux accendi potest, nisi, quam aëris constitutio sicca vel humida, exspiratio vehemens, vomitus et sternutatio in hanc exserunt surditatem vi rite aestimata.

§. 48. Atresia tubae Eustachii congenita, vel osseae vel membranaceae curam nostram frangit. Nemini, credo, arrideret operatio a Saissy laudata, cultro triquetro concretionem solvendi. Fortasse ex membranae tympani perforatione aliquis fructus percipi posset. Inflammatio tubae, ut faucium angina, antiphlogistica postulat, hirudinum ad collum applicationem, diluentia, gargarismata et pediluvia nec non vaporem tepidum decoctorum emollientium, sub exspiratione forti, ore nasoque detentis, versus tubae Eustachii ostium propellendum. Tubis post catarrhalem nasi vel faucium affectionem obstructis, cura eadem est, quam de aurium catarrho jam monui. Eximiam utilitatem praebent emetica, quae irritatione saepe repetita tubas ab omnibus, quae in iis sunt, liberare valent. „Surditas genita a crassis et pituotosis humoribus, internam auris partem occupantibus, immedicabilis est, si sit inveterata. Inveterata dicitur, quae excessit duos annos, tam longo enim tempore imbibitus in illis partibus humor ita induruit, ut vix, imo nunquam, possit emolliri et discuti" *).

---

*) cf. Dict. d. scienc. méd. T. 38. Oreille.

Contra tubae constrictionem Deleau catheterem elasticum a se inventum, alii spongia cerata pinnae corvinae ambitum aequantia commendant. Minus tamen difficultatis et molestiarum praebere videtur fides ex intestinis parata, a Kramero adhibita. — Tubae polypo vel chronica amygdalarum intumescentia occlusae, cum illorum morborum cura simul medebitur.

§. 49. Saepissime in tubae obliteratione ad aliud quoddam remedium refugiendum nobis erit: Injectiones dico. Quam methodum saluberrimam praefecto veredariorum cuidam, Guyot, debemus, qui suo ipsius morbo permotus, cognitionemque harum partium anatomicam nactus, ad injiciendas tubas specillum geniculatum sibi construi jussit. Cujus ope igitur, quum anno 1724 optimo cum eventu injectiones in tubas per os fecisset, Academiae Literarum Parisiensi instrumentum a se inventum examinandum tradidit **). Attamen difficultas, usque ad internam tubam per os penetrandi, quum a Guyot quoque nihil nisi ejus ostium ablui potuerit, et calamitates nauseae et vomituritionum facillime intrantes, operationis auctoritatem et propagationem haudquaquam adjuvabant. Quo factum est, ut Cleland ***) illi instrumento aliud quoddam substitueret, cujus ope

*) cf. p. 77.

**) cf, Machines et inventions approuvées par l'Academie Royale des sciences à Paris 1735. No. 253. p. 115.

***) cf. Philos. Transactions. Ann. 1741.

per nasum in tubam perveniri posset. Sed nec hujus, nec alius cujusdam inter Britannos medici, Douglas instrumenta in vulgarem recepta sunt usum, donec Wathen*) hanc operationem praestantissime excoluit et historiis morborum explanavit. Inventio ejus inprimis a viris doctissimis Ten Haaf, Petit, Arnemann, Sims, Hard, Saissy, Itard aliisque summis laudibus celebrabatur, quamvis repudiata sit a Bell**), Portal***) et Trampel, tanquam auditui noxia.

Quarum igitur injectionum eventibus sine ira et studio perpensis, remedium nobis grato animo excipiendum est, quod, indicationibus rite constitutis, certo auditum reddere valet. Perforatio membranae tympani, eo suscepta consilio, ut per meatum auditorium externum in aurem internam directa exseratur vis, haudquaquam injectiones omissas compensat. Hae quibusdam surditatibus sola et certa sanationis via habendae sunt.

§. 50. Praestantissimae hujus operationis indicationes hae sunt:

1. Obstructio tubarum Eustach. per mucum, sanguinem, pus vel aliacunque concrementa.
2. Intumescentia membranae mucosae tubam investientis.
3. Nervi acustici paralysis. (Saissy.)

---

*) cf. Philosoph. Transactions. Ann. 1755.

**) cf. Cours de Chirurgie. Tom. IV.

***) Philosoph. Transact. ann. 1734.

Nec prorro levis est momenti decernere, quidnam in tubam Eustachii injici debeat? M. Lentini*) propositum, aërem calefactum inhalandi, tum modo mihi, quod sequamur dignum videtur, ubi, ratione inter aërem in cavo tympani contentum et externum turbata, baryoecia vel surditas orta est. Nec major utilitas percipienda est ex injectionibus aquae tepidae. Itard commendat aquam marinam, solut. ferri carbon., natr. muriatici et in nervorum paralysi, Tram. aeth. Asari europaei, aut infus. flor. Arnic., vel dcoct. folior. nicotianae, semin. Coffeae arabicae, hb. Rutae aliaque. Saissy aquam tepidam injicit, addito Aethere sulphuric., Aq. Coloniensi, tra Moschi, Dcoct. Chinae aut Aq. Menth. — Petit dcoc. hordei, aristoloch. longae et rotundae, Dcoct. lign. Guajaci et Sassafras, cui adjicit aliquid Aquae Calcis vivae. Plerumque in usum vocatur infus. flor. Chamomillae aut Sambuci cum melle. Deleau injectiones fluidas in tubam Eustachii atque per eandem in cavitatem tympani nimium irritantes judicat, et elateri inter aërem externum internumque servando momentum, quo dignum est, summopere vindicans, aëris athmosphaerici injectione nihil aptius censet. Quam sententiam primum uberrime explicavit in libello quodam: „Traité sur l'emploi de l'air atmosphérique dans le diagnostic, le pronostic et le traitement de la surdité." Argumentum vero ejus o

---

*) cf. Tentamen vitiis auditus medendi. Gött. Gsell. Vol. 12. 1793.

judicio medicorum illustrissimorum Magendie et Favart, ex Ephemerid. medicis depromto, patet*). Ipsam operationem his verbis describunt:

. . . . . . Mr. Deleau introduit par les fosses nasales une sonde creuse de gomme élastique jusque dans la trompe d'Eustache, ensuite au moyen d'une pompe, qui comprime l'air dans un reservoir muni d'un manomètre, il pousse de l'air dans la sonde etc.

Accuratam hujus methodi descriptionem praebet Kramer p. 59 — 63. Cui methodo multi medici Parisienses faverunt, nec minus constat, ejus auctoritatem felicissimo adjuvari eventu. Ex Ephemeridibus nostris**) nuperrime cognovi, illum ipsum Deleau praemio esse ornatum, optimae de auris atque auditus morbis disputationi constituto. Libellum vero, quin adhuc adire potuerim, vehementer doleo.

§. 54. Sed redeamus ad injectiones, ad quas utimur fistula argentea, commune specillum longitudine non superante, maxime tubulo anatomico simili, et syringae materia injicienda impletae adaptata. (Lentin et Itard). Wathen fistulam adhibet apice paullulum incurvatam, Saissy sigmoideam, apice perforatam.

---

*) cf. Revue médicale. 1830. T. I. p. 63.

**) cf. Haude und Spener'sche Zeitung. Nov. 1832.

***) cf. p. 349.

Haec instrumenta oleo vel unguento cerato illita aut: 1) per cavum oris injectiones instituturi sub alta exspiratione, dum velum palatinum se tollit, eodem momento infra illud ingerimus, et apicem incurvatum ad exteriorem et superiorem partem movendo, usque ad ellipticum tubae Eustachii orificium protrudimus; aut 2) inter alam septumque nasi per inferiorem ejus ductum ita ingerimus, ut eorum concava pars superiorem aperturae narium partem respiciat. Tunc illa pars septo obvertitur, ut incurvatus apex tubam facile intrare possit, quo facto injiciendum in eum impellitur, cauteque injicitur, quo mucus per nasum aut os aut per utramque cavitatem effluat. Quodsi pluribus injectionibus opus sit, fistula in naso relinquitur, vel filis sericeis, ut vult Deleau, vel pittacio e cupro parato, ut Itard dicit, firmata. Multum juvat observatio ab Itard facta, ut dignoscatur, quam profunde haereat ostium tubae, nempe quod distantia inter superiorem dentium seriem et basin uvulae illam ductus nasi inferioris ab orificio tubae Eustachianae prorsus aequet: tum nasus certe a nimia irritatione tutus erit.

B. DE SURDITATE ORGANICA.

§, 52. Capita priora in morbis versabantur, qui organica auris laesione diminutionem auditus vel surditatem provocare valent, in otitide nempe, otorrhoea purulenta et blenorrhoea auris. Vidimus quo-

que, quum plurima de auris partium vi adhuc lateant, nos nunquam certitudine quadam gradus, quo auditui per illos laesionis periculum immineat, constituere posse, surditatemque tum ortam, quum tanquam sequela illius laesionis organicae sit, iisdem remediis, quibus morbus, impugnari debere. Sed organa perdita restituere nos nequimus.

§. 53. De membranae tympani ruptura. Nunc ad rupturam membranae tanquam ad frequentissimam organorum laesionem nos convertamus. E duabus autem causis haec orginem ducere potest. Primum inevitabilis est sequela cujusque otitidis, nisi puri inflammatione exorto alia forte detur via, per quam effluat. Jam dictum est, quanta sit proclivitas puris per meatum auditorium externum effluendi, licet tuba Eustachii derivandis ex aure humoribus natura inserviat. Semper fere illa ruptura marginem versus invenitur, rarissime, quo manubrium mallei inseritur loco, nisi otorrhoëa diuturna totam membranam in labem trahat. Tum membranae tympani ruptura fieri potest corporibus externis in meatum auditorium incaute intrusis, insectis illapsis, aut ictu vel casu in caput, concussione denique aëris per tonitru aut tormenta aenea. Vix crediderim, aëre, magna cum vehementia exspirato, ut sub sternutamento aut in anginis, membranam tympani perrumpi posse, praesertim, quum Itard tubam Eustachii in his morbis mox intumescere et obliterari confirmet, eoque minus fide dignum sit illud Tulpii, quod de asthmate laborantibus narrat, quibus per membranam tympani modo spiritum ducere li-

cuerit. Transversus membranae tympani in aure situs et partis petrosae directio fere horizontalis, (angulo certe cranium versus peracuto) jam argumento esse potest, cerumen induratum et coacervatum non facile membranae tympani rupturam efficere posse, quod Ribes *) sectionibus, ut dicit, doctus profert. Semel et Itardo contigit, ut, membrana tympani erosa, totam ejusdem cavitatem massa ceruminosa refertam videret, haudquaquam tamen ita, ut membrana tympani justa secundum ponderis leges directione, e centro nempe ad peripheriam perforata esset.

Symptomata membranae tympani ruptae vel erosae haec sunt:

1) Aër vel fumus per aurem, ore nasoque detentis, si exspiratur, cum strepitu per membranam tympani penetrat, et crinem, flammam aut pennam meatui anditorio admissas movet.

2) Injectiones in meatum auditorium externum per os vel nares effluunt.

3) Injectiones in tubam Eustachii e meatu auditorio externo profluunt.

§. 53. Ruptura membranae tympani in universum non mali est ominis. Mira reproductionis vi praedita, quaevis hujus membranae ruptura dummodo neque auditus ossicula inde laesa, neque tantopere illa irritata sit, ut otitis oriatur, facillime cicatrisatur. Experimenta a Valsalva, Boneto, Riviére, Rio-

---

*) cf. Journal de médecine. Tom. 31.

lan, Fabricio Hildano in canibus instituta saepenumero repetita sectionibus tum factis id confirmabant. — Maximi momenti in prognosin statuendam locus est et extensio, qua tympani membrana rupta est. Intimus mediae membranae partis cum malleo et cum tota ossiculorum catena connexus, jam demonstrat periculum ex illius ruptura imminens. Tum aut immediate aut post brevissimum tempus surditas inde oriatur necesse erit, eoque certius, quo membrana penitus lacerata et ossicula simul affecta fuerint. Sed optima medicatrix natura, illi infelicissimo eventui quasi praecavere studens, pus in aure interna accumulatum, marginem versus plerumque penetrare curavit, quominus nimis laedantur organa. Nam praeterquam quod, simulac cessavit otorrhoea, apertura membranae jam post hebdomadas aliquot, quin sine ullo cicatricis vestigio, clausa sit, non desunt exempla, in quibus membrana per diuturnam otorrhoeam prorsus excsa, auctore Valsalva, denuo sese reproduxerit. Otorrhoea autem persistente membrana claudi nequit, tum semper quaedam auditus perturbatio provocetur necesse erit, eoque potissimum, quod aër externus, libere in cavitatem tympani et processus mastoidei cellulas penetrans, et aëris aequilibrium deleat et organa tenerrima viribus externis caute membrana tympani subtracta irritet et functionibus rite peragendis debiliora reddat.

Nulla hucusque nobis datur optio nisi curam exspectativam ineundi et sive majori sive minori ex

parte destructa est membrana, videndi ne quid detrimenti capiat auris, neque corripiatur otitide, otalgia etc. Quem in finem magnopere commendandum est, meatum auditorium externum gossypio operire et ab injectionibus et vaporisationibus quibuscunque cautissime abstinere.

DE TEREBRATIONE PROCESSUS MASTOIDEI.

§, 54. Jam in §. 15. occasio mihi data fuerat, cellurarum processus mastoidei cariem, ut otitidis exitum commemorandi. Quae caries plerumque apertura, e qua pus effluit, terminatur. Quum igitur aliquoties, secundum Valsavae *) observationes, surditas hoc effluxu tolleretur, nonnulli permoti sunt, in quibusdam surditatis casibus ad artificialem processus mastoidei aperturam, sive terebrationem refugere. Jam prius Riolan hanc operationem proposuit, perpetrata vero primum est ab Jasser. Postea quidem a Fielitz, Löffler, Rust aliisque adhibita, at propter haud leve periculum cum ea conjunctum et auctoritatem perforationi membranae tympani et injectionibus in tubam Eustachii partam omnino fere recedere jussa est. Nec igitur ea, ut Zang vult, tamquam empiricum casibus baryocciae desperatis, indicatione deficiente, adhiberi debeat, quum facillime coecitatem et vehementissimas nervorum affectiones gignere valeat, nec certum promit-

*) cf. tractat. de aure hum. p. I.

tat successum. Voluntaria tantum hujus regionis apertura per cariem effecta salubris erit, ibique naturae vis et potest adjuvari et debet.

§. 55. Saepissime ab auctoribus variae ex internarum labyrinthi partium desorganisatione exortae affectiones morbosae describuntur, ut membranae fenestrae rotundae et ovalis vitia, membranae labyrinthi nerveae inflammatio, aquularum Cotunni depravatio et defectus aliaque, de quibus conjicere quidem licet, certi vero atque explorati nihil potest erui. Ostendunt sectiones varias, praesertim in surdomutis, labyrinthi ossei desorganisationes *), defectum rotundae ac ovalis simul fenestrae **), vel saepius rotundae ***), vel ovalis solius †), vel minorem conchae scalarum numerum, vel concham ipsam tam exiguam, ut promontorium in cavitate tympani defuerit ††), vel tandem canalium semicircularium defectum †††). Sed de his statibus in homine vivo non majore eventu

---

*) Mundini Comm. Bonon. Tom. VI. Anatomia surdi nati pag. 422.

**) Roederer, Desc. foet par. in Comment. Soc. Goetting. 4.

***) cf. Roederer, l. l.

†) cf. Cotunni de aquaeductib. auris human. Neapol. 1760. §. 72. — Otto's pathol. Anatomie p. 175. — ejusdem Seltne Beobachtungen I. No. 12. — Mundini l. l.

††) cf. Otto's pathol. Anatomie. l. l.

†††) Mürer, Comm. de caus. cophoseos etc.

prognosis statui quam cura iis opponi potest. De hoc tantum judicare nobis licet, utrum surditas a media an ab interna aure orginem ducat, eo, quod nec auris externa nec ulla partium mediam aurem constituentium morbosi aliquid praebeat. Quis tamen posset dignoscere in infante vivo, canalium semicircularium, conchae et singularum labyrinthi partium defectum? Magis hic interest scire, quo gradu infans surdus sit, et tum optime cum Itard quinque discerni poterunt gradus, quorum accurata observatio utilitatem praebet, sane non parvi faciendam, impediendi, quominus medicum vana occupet felicis curationis opinio. Primo loco facultatem ponit sermonem audiendi, secundo vocem, tertio sonos, quarto strepitum, quintum postremo absoluto auditus defectui vel perfectae surditati concedit. Pauci tantum surdomuti nati, quorum malum in interna sedet aure, facultate gaudent, sonos quosdam melodicos aut organum auditus grate afficientes vel generales humanae vocis flexiones, ut gaudii, doloris aliarumve affectuum expressiones aure percipiendi atque imitandi. Neque numero superiores sunt illi, qui, quamvis vocales inarticulatas plane discernere possint, consonantes tamen nunquam eas percipiunt, quas elocuti sunt, sed quamcunque aliam. Tertia classis hoc a secunda distinguitur, quod nullum amplius verbum integrum, sed vocales solae audiantur. Perceperunt quidem, vocales per consonantes iis conjunctas majorem quasi tenacitatem adeptas esse, articulationis vero modum plane discernere nequeunt. Secundum diligentissimas, quas Itard se jure suo sibi vindicare affirmat

observationes, surdomutonatorum quadragesimus fere quisque primae, vigesimus quisque secundae, vigesimus quartus quisque tertiae adscribendus erit classi. Omnes hi gradus, pro majore minoreve auditus facultate magis minusve sanabiles sunt et spem certe alunt, cura animo forti suscepta et sustentata languidum auditus igniculum ad flammam reficere. Quartus denique quintusque ordo plane surdos continet, quorum quidem illi sono vehementi, ut tonitru, telo librato etc. irritari possunt. Attamen hae impressiones solo potius strepitu efficiuntur, nulla enim vox nullusque sonus vibrationibus apte compositis ad obtusum eorum pervenit auditum. Surdomutorum ab ortu bis fere quinta pars hoc obtusi auditus gradu laborant. Plus dimidio surdomutorum plane surdi appellandi sunt. In his nullum omnino auditus vestigium, et ad summum, contactu per corpus exercito, sonus aliquando ex stupore eos expergefacere valebit.

§. 56. In hoc chao indigesto singulae animadversiones, ab experientia sola depromtae, sane maximam sibi vindicant auctoritatem et aliqua indicia diagnostica ac prognostica nobis praebere possunt, quibus rudes superamus empiricos et palmam cedere jubemus. Surditas autem talis congenita, si vel statim post primos vitae menses, vel cum convulsionibus febrive soporosa, nervosa invaserit, si porro nulla mali causa exstiterit, sed infans tantum ire tardius didicerit, vel si denique in eadem familia alius quoque surdomutus natus vel demens occurrat, jure in organica auris vitia concludi potest.

Adversus illorum miserorum mala minus medela

consilium incundum est quam educationis, qua dormitans auditus sensus expergefieri ingeniumque hominis, cum quo oratione et instructione communicandi omnis occlusa est via, ali possit. In longas ambages decurrerem, si modum atque rationem surdomutos natos educandi hic perlustrarem. Hanc solam veniam mihi peto, ut Petrum Poncium, (Pedro Ponce) monachum Hispaniensem Sti. Benedicti primum, methodo summa admiratione digna, surdomutorum natorum educationem tentasse eamque artem indefessa opera Abbatum de l'Epée et Sicard ad summum perfectionis fastigium provectam esse commemorem. Exigua audiendi facultas, surdomutis natis relicta, apta docendi methodo exerceri atque excoli potest, ut sic societati reddantur, qua alioquin frui non possent. (cf. Itard p. 519 — 554.)

C. DE SURDITATE DYNAMICA.

§. 57. Transeamus nunc ad tertiam surditatis causam, seu mere nervosam, seu in universa hominis constitutione et habitu positam, omne auxilium plerumque illudentem. Et hic primum consideranda nobis est, Praedispositio haereditaria. De propagatione morborum a parentibus in liberos nihil adhuc explorati habemus, quo freti illam lucide explicare conaremur. Nec materiale quoddam, ut verbo utar, substratum, quod in coitu, diathesis morbosae in parentibus haerentis quasi ductore, in embryonem

transferri traditur, nec ulla alia hypothesis plus adhuc valuerunt, quam quaestioni densiores tenebras circumdare. Res tamen nullo modo negari potest, et equidem contendere ausim, nullum fere hominis reperiri morbum, acutis quidem exceptis, qui non semel certe praedispositionem haereditariam experientia comprobaverit. At haec ipsa, quomodo propagetur, ignorantia prognosin de illis morbis infaustissimam statuere nos docet. Auris quoque saepenumero illa hereditaria ad surditatem repentinam praedispositione laborat. Mihi ipsi occasio oblata erat, animadvertendi, filium quendam eodem aetatis anno dysoecia affectum esse, quo pater olim dysoecus factus fuerat. Magnopere nobis lugendum est, vires nostras adhuc morbo illi, qui propagatione ortus sit, feliciter sanando inferiores fuisse.

§. 58. De metastasi. Sicut omnia organa centralia periculo exposita sunt, ut materiae morbosae metastasi afficiantur, par quoque ratio in auribus viget. Attamen nec sympathicus singularum corporis partium inter se nexus, nec aliud quid cognitionem nostram de hac tam integro quam morboso statu organorum affinitate vel minutulum promovere potest.

Experientia nos docuit, gonorrhoeam syphiliticam oppressam oculos praecipue invadere, anginam parotideam orchitidem efficere. Ad aurem metastasis saepe a variolis oritur. Stadio praesertim variolarum exsiccationis, aër frigidus corpori admotus, diaeta neglecta, aut otitidem aut sine ulla affectione pathologica subito surditatem gignit. Nec minus facile ru-

beoli *), morbilli, arthritis, rheumatismus, scrophulosis, exanthemata chronica, trichoma, ulcera phagedaenica, syphilis **) etc. ***) metastasin auditum versus provocant.

Nisi medici consilium jam primis diebus contra hanc surditatem quaeritur, plerumque omnis curationis spes amissa est, quum et morbi suppressi in priorem locum restitutio non semper efficere possit, ut surditas tollatur. Optima secundum Itard †) prognosis in surditate, post tineam repente suppressam orta, est statuenda. Cura hujus surditatis omnium, quae nobis in promtu sunt, irritantium usu constat, ut vesicantium, moxae, setacei aliorumque ad locum prius affectum, applicandorum.

§. 59. Plethora et Congestiones aurem versus saepissime surditatis sunt causae. Symptomata, quibus indicatur haec surditas, sunt: cephalalgia fere perpetua, vertigo, aurium tinnitus, ingravescentia surditatis coelo calido, diaeta lauta, motu vehementi, situ horizontali. Plerumque haec surditas occurrit in juvenibus, saepe in haemorrhoidariis et in feminis sub annis climactericis, aut amenorrhoicis vel menostaticis. Saepe antecedit oxyoecia et perceptio sonorum dolorosa.

---

*) cf. Itard. p. 446.

**) cf. F. Swediauer, v. d. Lustseuche; übers. v. Gust. Kleffel Th. II. Berl. 1799. 8. p. 88. u. 89.

***) cf. Lavaud in Journ. de Med. T. 81. p. 346.

†) cf. p. 449.

Utrum plethora universalis an congestio aures et caput versus surditatem provocaverit, ex aetate, corporis constitutione et vitae ratione poterit erui. Surditas e plethora universali provocata sat facile cedit, si rite curatur, et plerumque haudquaquam est recidiva. Congestio difficulter sananda et multo magis in recidendum inclinata, quod eo facilius fit, quo magis surditas est inveterata.

Plethora universalis ut sanetur, universum postulat remediorum antiphlogisticorum apparatum, venaesectiones, quin in vena jugulari ipsa institutas, hirudines, salina aliaque. Ut vero congestio removeatur, et hic opus est venaesectionibus, hirudinibus, cucurbitulis cruentis, pediluviis acribus etc. — Illud modo ab Itardo *) observatum haud silentio a me est praetermittendum, sanguinis nempe detractiones, vel hirudinibus effectas, semper fere statim surditatem augere earumque utilitatem die demum vel biduo post intelligi posse.

§. 60. De surditate paralytica. Ut cuique paralysi, ita nervi quoque acustici multae causae praedisponentes exstant. Ejusmodi sunt: Convulsiones, apoplexia, hemiplegia, epilepsia et catalepsia, febres nervosa et morbi chronici, ut haemorrhagiae nimiae, blenorrhoeae, concussio ossium temporum aliaque. Plurium scriptorum opera observationibus scatent, quibus docemur, lapsu in pedes, os coccygis aut genua, colapho incusso, tonitru, explosione tormentorum ejus-

---

*) cf. p. 130.

modi surditatem esse exortam *). In infantibus potissimum vel leviores convulsiones surdomutitatis causam parant **). Huc sine dubio miri surditatis insultus sunt referendi, qui nonnunquam nocte, vel a levi lipothymia vel denique a vertigine profecti sunt. In febribus nervosis, asthenicis surditas saepissime occurrit. Acta Nat. Cur. ***) exemplum tradunt, quo intermittens quartana in homine sexagenario post nonnm paroxysmum in surditatem terminata est, quam varia remedia frustra tollere conabantur. Huc denique pertinet paralysis, ab Itardo †) sic dicta, essentialis nervi acustici, sive atrophia auris, quae quidem in omnibus vitae aetatibus, vulgo autem apud homines quadraginta annorum aetatem jam egressos evenire solet.

§. 61. Hic nervi acustici status plerumque cum tanta omnium nervorum debilitate et sensibilitate minuta conjuncta est, ut ejusmodi homines vel acerrimis stimulis, ut setaceo, vix afficiantur. Jam auris externa virium vitalium in aegroto diminutionem indicat. Membrana meatum auditorium investiens nihil amplius ceruminis secernit, prorsus languida est et epidermide sicca et farinosa obtegitur. Creberrima

---

*) cf. Amat. Lusitan. curat. med. Cent. 7. — Riedlin. Med. ann. 5. jan. 31. — Foreest, Obs. et cur. med. obs. 12. — Fabr. Hildan. Obs. med. chir. Cent. 3. obs. 7.

**) Itard, p. 403.

***) cf. vol. I. obs. 38.

†) cf. p. 410.

haec surditas aetatis provectae comes apparet et incurabilis cuique irritationi resistit. Et hi surdi in magno strepitu, in currus rotatione, campanarum et tympanarum pulsatione, melius audiunt. Tamen spes illa fallax est, quum organum, simulac strepitus aurem attingere desrit, in stuporem relabatur. Magni tamen momenti continuarum ingenii intentionum, atque animi affectionum vis in surditatem paralyticam vel augendam vel diminuendam.

§. 62. Surditas, cujus origo in nervorum acusticorum percussione quaerenda est, medicorum arti insanabilis est; at vis naturae medicatrix non raro talem post aliquot dies vel hebdomadas sponte curat, quod in ignium missilium vibratoribus saepenumero accidit. Si convulsiones vehementes ac repetitae auditum labefactarint, haec surditas plerumque cum paraplegia conjuncta est ingeniique facultates, inprimis memoria, ita sunt oppressae, ut pertinacissima sit omnibusque auxiliis inaccessibilis. Idem se habet de surditate post apoplexiam nata. Juvenes interdum indefesso irritantium usu nervum dormientem excitare possunt, sed provecta aetas surditati favet. Hippocrates immerito forsan, omnes surditates, quae cum febribus junguntur, sinistras judicavit. Surditas, in medio morbo exorta, raro permanet, si extremo, interdum, saepissime vero tum, cum surditas statim cum febri initium coeperit et per breve tempus febris duraverit. Surditas essentialis semper insanabilis est, praesertim, quum praeter animi facultatum depressionem harum partium vita animalis exstincta sit.

§. 63. Singulorum instar luminum, e nocte ob-

scura emergentium, felicis atque perfectae surditatis paralyticae curationis existunt exempla. Natura sola, vi sua omnipotente his miseris auditum restituere valet, dum ars exigua reginae cedit, penes quam omnis servatur salus. Si vero ars, supplicibus precibus aegrotorum mota, curationis methodum proponat, quae salutarem edere possit effectum, irritans utique methodus est, quae non mortuam quidem accendere potest vitam, tamen fractam excitare. Moxam his intellectam volo, juxta aurem et praesertim post processum glenoideum mandibulae applicatam et vaporisationes aethereas, in meatum auditorium vel potius per tubam Eustachii ad aurem mediam inductas (cf. Itard pap. 229.) Hic ad vaporisationes commendat Decoct. Asari europaei cum aceto vel Tra. hujus radicis aetherea. Pari modo acidum sulphurosum adhiberi potest (sulphure accenso) maxime irritans, quo Dioscoride teste antiquiores ad hunc utebantur finem. Aptissimum porro est, ore et faucibus fumo herbae nicotianae adimpletis, sub exspiratione vehementi in tubam Eustachianam impellere, nec non stillicidia aquae ex alto *) in meatum auditorium, additis, ut acriora fiant, vel Natr. muriat. Libr. j. vel Ammon. muriat. Unc. ij. vel Kali sulphurici Unc. β, vel ex aqua marina nervum acusticum in paralysin ruentem resuscitare valent. Porro non desunt, quibus placeant injectiones succi Rutae, Allii, Menthae, Sempervivi tectorum vel

---

*) cf. Schmucker Verm. chir. Schrift. Bd. 3. p. 138.

Ceparum sub cineribus tostarum, Tra. Castorei et Cantharidum, Ol. Lauri aut Chamomillae aeth. etc Sed omnia haec medicamina, quae jam innumerabilis copia et varietas inutilia esse testatur, saepe medicum simul et aegrotum consilio de hoc malo destituunt, cui tam raro cum effectu felici datur opera.

§. 64. Consilium, ex hoc remediorum irritorum labyrintho evadendi frustra circumspicientibus, Electricitas *) et Galvanismus **), tanquam duae stellae affulserunt, viam obscuram illustraturae. Huc omnium oculi repente sunt versi. Exempla surdorum, quibus fulgur auditum reddiderat, insignis electricitatis effectus in paralyses, pareses etc. et defectus rationalis methodi, certe efficacis, surditatem paralyticam curandi non potuerunt, quin gratissima redderent medicis remedia, quae in his angustiis redemtores esse, et surdis quoque aliquid solatii afferre videbantur. Attamen si empiricum et universalem

*) Blizard in Lond. med. Journ. 1. n. 4. — Salzb. med. chir. Zeitung. V. Ergänzungsblatt p. 287. A. L. Z. 1802. n. 369. — Fischer in Richter chir. Bibl. 7. p. 773. — De Haen ratio medendi I. c. 8. III. c. 6. — Haller, Opusul. pathol, Abh. 67. — Hufeland, Journ. d. pract. Arzneikunde 7. Bd. 4. St. p. 171. — Pomme et Renaud in Journ. de Medec. T. 73. p. 191. v. Hufeland neueste Annalen d. französ. Arzneikunde. 4. Bd. p. 322.

**) cf. Grapengiesser, Versuche üb. d. Galvanismus p. 130. — Ritter in Hufeland Journ. d. pract. Heilkunde. XVII. B. 3. St. p. 40.

horum remediorum in omnibus surditatis generibus, qualibuscunque, usum omittamus, nisi in imperfecta nervi acustici paralysi aliquantum effectus, exercere nequeunt, et contraindicationem exhibent in omnibus illis surditatis formis, quae ex aliis aurium morbis derivandae sunt nec non in hominibus erethicis ad congestiones caput versus proclivibus. Galvanismus, vestigia electricitatis tum jam obsoletae premens, a Grapengiesser, iisdem, quibus antea electricitas, laudibus elatus, tam propter abusum, et irritationem nimiam insequentem relaxationem, mox omni auctoritate denudatus et simul cum electricitate oblivioni vix meritae traditus est. In electricitate et galvanismo adhibendis nunquam debet omitti, utrumque remedium momentanea nervorum irritatione spem sanationis alere, tum magis magisque evanescentem. Differentia inter physicam electricitatis et galvanismi naturam intercedens, ad vim quoque, ab iis in corpus humanum exercitam, spectet necesse est; talique modo electricitas musculorum, galvanismus contra nervorum systemati propior judicari solebat. Qua opinione ducti, electricitatem in musculorum, galvanismum in sensuum morbos adhiberi maluerunt. Mihi quidem galvanismus propterea in sensuum morbis rejiciendus esse videtur, quod in eo nunquam vis electrica mera, sed semper chemicis agentibus commixta effectum gignit. Quae vero conjunctio in partibus tam teneris, quales sunt aures oculive, minime optanda sit.

§. 65. Nec Magnetismo minerali*) et animali**) defuerunt, qui eorum vim in surditatem curandam laudibus efferrent. Nimia in illis posita erat fiducia, quam ut non brevi in oblivionem caderent. Ceterum nisi in perversa nervi acustici sensibilitate ab his remediis aliquantum eventus exspectari non potest.

DE TUBIS ACUSTICIS.

§. 66. Ex omnibus, supra traditis, tristis illa persuasio nobis venit, nullum certum remedium, miserrimo huic malo succurrens, nobis praeberi. Unicum igitur restat refugium, instrumenta dico, quae viribus physices, debili auditus organo adjuvando accommodata sunt, cornua acustica. Physica, si horum instrumentorum structuram jam ad idem, quo optica provecta videmus, perfectionis fastigium promovisset, multorum surdorum, in quibus omne medicorum auxilium irritum redditur, sors multo minus esset infelix. Cum tenebrae, quae nonnullas adhuc acustices partes circumdant, tum scientiae nostrae physiologicae auditus confusio ad mancam hanc cognitionem valent. Ut vero cornu acusticum ea, quae debet, officia praestet, his conditionibus satisfaciat oportet:

---

*) cf. üb. Wirkung des künstl. Magnets etc. p. 19. cf. oeconom. Journal. Jan. 1767.

**) cf. Weinholdt, Heilkräfte des thierisch. Magnetismus c. 5. — Hagstroem in Journ. de Med. 1793.

Jam vero potissimum illi debet inesse facultas, perceptionem aëris vibrationum, causa quadam vel mechanica vel dynamica debilitatam, planam reddendi atque augendi. Quem ad finem diversae surditatis intensitati aeque ac conspicilia oculis tubi sunt adaptandi. Animadvertimus in surditate non intensiva cornu acustico, modice tantum aëris vibrationes augente, opus esse, dum in surditate profunda, instrumenti resonantia, sano et minus duro auditui valde confusa, perceptioni nihil noceat *).

§. 67. Inter omnes materias, tubis acusticis construendis accomodatas, metallis, ut optimis sonorum propagatoribus, sine dubio palma est decernenda. Ex metallis vero Itardo**) argentum, cuprum, lamina ferrea stanno obducta melius placent ceteris.

Jam Heister ***) instrumentum quoddam acusticum his verbis commemorat: „Fama quidem ante aliquot abhinc annos, ex novis publicis fuit, Truchetum aliquem, monachum et mathematicum gallum, atque Academiae regiae Parisinae socium, pro eo quo erat ingenio egregio, Parisiis instrumentum aliquod acusticum confecisse, non ita solum minutum, ut intus in ipsa aure sub capillis omnino condi valeat, sed et vel maxime ita nobile, ut debilitatam audiendi potentiam incredibiliter promoveret.“ Academia autem literarum, sollerti ejus examine institu-

*) cf. Itard, p. 237.

**) cf. l. l.

***) cf. Institut. chir. pars. II. tab. XIX.

to, illud nihilo magis idoneum experta est, reliquis cornuum acusticorum formis. Omnia antiquiora instrumenta, auri designata ut illud a Truchet, qui vulgo Pater Sebastianus appellatur, inventum et cognominatum, illud Duquetii, cujus imago operi Parisiis Anno 1706 edito: Recueil des machines de l'Académie royale des sciences: inest, seu conicam, seu pyramidalis infundibuli, seu parabolicam formam exhibent. Itard (p. 239.) primus analogiam organi visus cum conspiciliorum vitris ad organum auditus animadverterat. Itaque arbitratur, sonis propagandis et augendis conducturum esse, si praecipuas auris partes, ut meatum auditorium, membranam tympani et canales semicirculares imitaremur. Quam opinionem secutus acusticos apparatus confici jussit, qui cavum tympani imitantes et ab aure externa pariete intergerino separatum contineant. In nonnullis ejus instrumentis primum hoc cavum in secundum aperitur, quod testae limacis simile, semet ipso convolvitur et a quo pariete altero, e frustula membranae, quali bractearii utuntur, aeque ac primus composito secernitur. In his, ita concha firmatis, apex hujus partis meatui auditorio adjungitur. Instrumento simplici, et unica tantum cavitate instructo, haec in meatum paucorum pollicum patefit, modice conicum et, quod in aurem excipiatur, destinatum, cui cavitati tympani ellipticam formam maxime convenire judicat. Nimia difficultate cornu acusticum, praesertim exiguum, e metallo conficiendi, Itard permotus est, ut ejus loco conchas natura formatas adhiberet. Instrumentum Negrieri,

secundum Itardi exemplum confectum, in Revisione librorum medicorum *) descriptum his excellit virtutibus. Semicirculari enim ejus aperturae structura, plana superficie parietum, cranii ossibus applicandorum, tum denique progressiva diametri decrescentia multum ad sonorum vibrationes augendas contribuitur. Nec tamen diffitendum est, quodammodo non parum vitiosum esse, hoc praesertim, quod tribus materiis diversis constet, nempe ex elephanto, corio et metallo, quo multo infirmius sit necesse est, quam quae ex una parata sunt materia. Secundum tubae, de qua agitur, vitium mihi positum esse videtur in modo atque ratione, a Negrier electis, ad tempora eam admovendi. Vinculum vel lorum, sub mento liganda, non id solum ingratum secum ferunt, quod ostium tubae cum meatus auditorii externi apertura minus arcta, quam debebant, conjunctione vinciant. Cui quidem defectui firma vinculi constrictione subveniri potest; haec vero necessario congestionem caput versus augeret, in surdis, in iis praesertim, qui tinnitu et susurro aurium vexantur, sane molestissimam, ne dicam, periculosissimam. Academia Literarum Parisiensis in universum quidem instrumenti Negrierani constructionem convenientem judicans, meritaque laude ornans, tamen has in illo emendationes faciendas curare suscepit, loro filum substituendi et os metallicum usque ad meatum auditorium extendendi. Parvus tantum surdorum numerus

---

*) Révue médicale. 1829. I. 217.

aliquid utilitatis percipit e conchis ex argento auroque confectis, meatui auditorio ingestis. Verum enimvero Itard in surditate, quae a catarrhali meatus auditorii obstructione dependet, optimum exiguorum horum cornuum expertus est effectum. Nec minus interdum (p. 241.) eorum vim manifestam fieri videbat, humore quodam parietes stringente. Desiit vero eorum vis, simulac, vaporisatione auris calore adjuta, rursus sicca facta sunt.

§. 68. Experientia illa, qua docemur, solida corpora multo validius sonos propagare posse volatilibus, methodum nobis probatam reddit, quae vel hebetissimum jam sensum concutere valet. Athanasius Kircherus *) et Boerhave **) jam hanc tradiderant methodum cum surdis communicandi, quum Jorissen in dissertatione inaugurali Halae (1757) in lucem prolata de experimentis rationem redderet, quae circa patrem, septuagesimo aetatis anno penitus obsurdefactum tentaverat. Audiendi enim hunc facultate donavit, conductore ligneo inter senis dentes collocato, ita quidem, ut alter illius finis ejus os tangeret, qui ab illo percipi voluit. Itard (p. 245) hunc ad finem instrumentum sat compositum commendat, tubo nempe acustico simile, ligneum, pyramidali forma; quod eo, qui surdi dentibus comprehendatur, fine in planam aperturam, fistulae for-

*) cf. institution. rei medic. de auditu.

**) cf. de ratione audiendi per dentes. 4. Lips. 1759.

mam exhibentem, exit, et a constructione orificii instrumenti illius musici, quod „Clarinette“ vocamus, haud multum abhorret. Alter finis in processum terminatur, in quo, ipso intacto, loquens os ponit. Instrumentum non manibus teneri, sed filo, lacunari suspenso, vel furca lignea in assamento collocata sustineri debet.

§. 69. Omnes igitur tubi acustici hi sunt:

1. Formam auris externae imitans, et ita comparatus, ut prominentia et gyrae effingantur, exiguo auri externae tubo instructus.

2. Instrumentum Dockerianum, limacis instar formatum, ita helici impliciti, ut apertura in summo limace in meatum auditorium inducatur.

3. Reliqua instrumenta, vel tubae vel cornu venatorio similia, ex auro, argento, gummi elastico, orichalco et stanno conficiuntur, octo vel novem pollices longa.

4. Nuperrime denique cornu acusticum internum (Cornet acoustique guttural) construendi tentamen est factum, quod sonum directe in aurem internam per tubam Eustachii perducere possit. Quae cornua quodammodo ad similitudinem tuborum, quibus praeecti navibus a margine signa edentes uti solent, accedunt.

(Cf. Dict. d. scienc. médical. Tom. VI. p. 353. Article rédigé par Mouton.)

§. 70. Tuborum acusticorum usus denique indicatus est:

1. In flacciditate, rigiditate, obduratione aliisque membranae tympani morbis, in quibus perceptio sonorum debilitata est.

2. In nervi paralysi.

---

§. 70. Restat, ut de Surditate symptomatica quaedam dicam. Omnes systematis reproductivi affectiones chronicae, spasmi, ut epileptici, cataleptici, hysteria et hypochondria, non raro surditatem provocant. Nimius veneris abusus (Saissy), morbi phthisici, dentitio difficilis et dens molaris cariosus, vermes in ventriculo et intestinis, graviditas *), tumores quicunque prope aurem aut in collo, aliaque, jam saepe nascenti surditati ansam dederunt, quae nullis nisi adversus morbum primitivum adhibitis cessit remediis. Difficilem auditum a nimia corporis obesitate Fr. Hoffmann (l. c. p. 245.) abstinentia et inedia curavit. Nec silentio hic praeteriri possunt animi pathemata, ira, tristitia, cura, quae idiopathice et sympathice in auribus ludunt scenam.

---

§. 71. De susurro aliisque auditus hallucinationibus, ut tinnitu, sibilo, syrigmo, bombo, enechi. Omnium fere auris atque auditus morborum sicut cujusque capitis affectionis vehementis, aliorumque multorum morborum symptoma

---

*) cf. Lanzoni in Act. Nat. Cur. Vol. II. p. 179.

non raro etiam idiopathice obvenit. In universum ad curam nihil refert, num auris hallucinatio susurro, tinnitu, vel sibilo constet, omnes enim, magis quidem minusve, sed eodem modo integritatem auditus perturbant. Initio quidem tinnitum, susurrum etc. ne minima quidem auditus perturbatio comitatur nec aeger ulla alia re, quam continuo, quem semper audire cogitur, strepitu oneratur, tum praesertim, quum silentium, undique eum circumdans, fremitum in auribus manifestiorem reddit et somnum praecipue adimit. Quid? quod homines per totam vitam vehementi tinnitu vexati sint, nulla quidem nisi incommoda modo commemorata perpessi *), quae tamen adeo gravia erant, ut hoc malo laborantibus, ne dicam omnia, pleraque profecto vitae gaudia exacerbare valeant. Non raro exempla obviam veniunt, in quibus aurium susurrus hypochondriacam et melancholicam affectionem eliciebat, quae postremo mente potita, hanc in suam redegit potestatem. Virum fide dignissimum audivi dicentem, hominem, haud parva ingenii indole, continuo tinnitu vehementissimo irritatum, fratris modo defuncti vocem agnoscere opinatum esse, et quum nusquam eam effugere posset, statu melancholico tandem supremum obiisse diem. Cujus strepitus in animum vim celeberrima imagine depingit Rousseau in Confess. Libr. VI.: „Ne pou-

---

*) cf. Heberden, Guilelm. Oper. med. Leipz. 1831. pag. 39.

vant prolonger ma vie, je résolus de tirer du peu, qu'il m'en restait, tout le parti, qu'il était possible' et cela se pouvait par une singulière faveur de la nature, qui dans un état si funeste m'exemptait des douleurs qu'il semblait devoir m'attirer. J'étais importuné de ce bruit, mais je n'en souffrais pas; il n'était accompagné d'aucune autre incommodité habituelle, que de l'insomnie durant les nuits. — — — Il est pourtant vrai, que rien ne me procurait un soulagement réel, mais n'ayant pas de douleurs vives, je m'accoutumais à languir, à ne pas dormir, à penser au lieu d'agir, et enfin à regarder le dépérissement successif et lent de ma machine et enfin à regarder le dépérissement successif et lent de ma machine comme un progrès inévitable, que la mort seule pouvait arrêter.“ Nec minus memoratu dignum est, quantopere continuus aurium susurrus ad religiosam ejus indolem valuerit, quod in aliis quoque saepissime accidit, his ipsis affectionibus ad mysticismum et animi conditionem omnino austeram inclinantibus. „Cet accident, qui devait tuer mon corps, ne tua pas que mes passions, et j'en bénis le Ciel chaque jour pour l'heureux effet, qu'il produisit sur mon ame. — — — — J'avais souvent travesti la religion à ma mode, mais je n'avais jamais été tout-à-fait sans religion. Il m'en couta moins de revenir à ce sujet si triste pour tant de gens, mais si doux pour qui s'en fait un objet de consolation et d'espoir.“ Quibus rebus docemur, susurrum saepe magis in aegroti mentem ac temperamentum, quam in ipsum au-

ditum influere eoque majore attentione dignum esse, quum utrinque hominis naturam periclitetur nec unquam certo possit praesagiri, auditum tinnitu haud affectum iri.

§. 72. In vehementibus animi affectionibus, inprimis deprementibus, ut terrore, ira, metu, sympathicum tinnitum rursus statim disparentem videmus, unde illud proverbium „die Ohren gellen mir.“ Occurrit vero etiam in gravioribus morbis exhaustis, post largiorem venaesectionem, majorem operationem, haemorrhagiam etc. Praeterea saepe epistaxin et vomitum praecedit. Magis autem continuus et pertinacior chronicae est symptoma cephalalgiae, undecunque ortae, cujusque traumaticae capitis concussionis per ictum, lapsum, nec non omnium graviorum febrium et cujusvis vehementis inflammationis praecipue adynamicarum et nervosarum, quae ad sensorium quoque spectant, tum catarrhalium et anginarum. Idem porro symptoma exhibet cuique reproductionis affectioni, dyspepsiae chronicae, sordibus gastricis, turgescentiae bilis, lienteriae, fluxui hepatico, coeliaco, dysenteriae etc. helminthiasi, spasmis, ut hypochondriacis, hystericis, epilepticis. Invenitur etiam in hominibus dyscrasia rheumatica laborantibus, aut qui studiis vel poculis nocturnis nimis indulgent. Praeterea plurimae surditatis species cum tinnitu complicatae sunt, quare diagnosis illius, ceterum facillima, difficillima tamen est, num tinnitus pro causa an baryoeciae effectu habendus sit, eoque

magis, quum aegroti, tinnitu magis quam surditate ipsa vexati hanc illi soli tribuere soleant.

Otitis praegressa, otorrhoea purulenta seu catarrhalis, perpetua cephalalgia eodem conjuncta, observatio denique, auditum, quamvis tinnitus interdum evanesceret vel certe diminueretur, haudquaquam infirmitate sua exutum esse, nos certiores faciunt, tinnitum surditatis esse symptoma. Contra surditatis causa existit, quum pro susurri vehementia surditas vel augetur vel diminuitur, et tinnitu desinente simul surditas disparet. Praeterea surditati tinnitu aurium provocatae id singulare inest, quod initio certe rectam singulorum sonorum quamvis exilium et remotorum perceptionem haud turbet, sed orationis vel linguae una cum aliis aurem attingentium, perceptioni ut in societate aliqua seu symphonia cum cantu conjuncta noceat.

§. 73. Tinnitus aurium idiopathicus pro causis praedisponentibus ad duos praecipue ordines refertur.

A. Susurrus et tinnitus aurium verus.
B. Susurrus et tinnitus aurium falsus.

Susurrus aurium verus ille est, qui vero strepitu in aure vel prope aurem edito excitatur, et originem ducere potest a motu sanguinis aucto, qui quidem efficitur.

1. Plethora universali. Tinnitus aurium cum pulsu isochronicus, vehementissimus, interdum, testibus Mercuriali, Plater et Duverney,-ita, ut circumstantes plane audire possent, nunquam decrescit nec ullas habet intermissiones. Itard (p. 183.) his in casibus aneurysma arteriae occipitalis, temporalis, auricularis posterioris statuendum arbitratur. Hic aurium tinnitus omnibus illis causis originem debet, quae plethoram universalem provocare solent, ut diaetae lautae, abusui potuum spirituosorum et habitui apoplectico.

2. Congestione. Tinnitus a vita sedentaria proficiscitur, a suppressione fluxuum sanguinis solitorum, hisque occupationibus, in quibus caput diutius pronum manet.

Alter susurri aurium fons in aëris liberae circulationis perturbatione est quaerendus. Quum aër in meatu auditorio contentus nec libere penetrare, nec per tubam Eustachii exire possit, tum oritur susurrus. Quo fit, ut quibusvis in meatu auditorio concretionibus, catharrho faucium, laryngis, ipsius tubae, vel hac muco, pure, sanguine referta ille gigni possit.

Susurrus aurium falsus idiopathice in hominibus occurrit, magna sensibilitate praeditis ac plerumque strepitu vehementi et diuturno diu influente, gravi machinarum bellicarum explosione oritur, tum quoque, quum strepitus vel minus quidem vehemens,

magnam tamen impressionem in animo reliquerit, ut terror etc. Documento est exemplum, ab Itard (p. 193.) citatum, feminae cujusdam nobilis, quae aliquando noctu flamma, qua lectus, in quo unicus ejus infans dormitabat, correptus fuerat, perculsa, per octodecim menses continuo aurium vexabatur susurro. In qua re maxime mirum videtur, quod susurrus ille plane flammarum sibilum imitabatur, quibus tam vehementer aliquando perculsa fuerat. Praeterea plerumque periodicus est tinnitus falsus atq ue digetonis tempore disparet.

§. 74. Sin quoque aurium tinnitus malum sit, quod vitae haud minitetur, saepe auditum non valde detrectet, tamen calamitas est, quae illo laborantibus omnia fere vitae gaudia exacerbat. Nunquam porro praesagiri potest, quatenus auditus susurro quodam detrectaretur, unde semper medici officium postulat, ut huic casui removendo operam det. Dolendum vero est, quod casus ille iis adnumerandus est, ubi omnibus medicinae intentionibus non contingit, ut morbum superent et saepe empirica auxilium ferant remedia, quorum vires haud nobis explicare possumus.

§. 75. Momenta praedisponentia ut in omnibus morbis etiam hic nobis normae esse debent. Plethoram universalem seu localem venaesectionibus, inprimis ad pedem vel ad ipsam jugularem, hirudinibus, cucurbitis cruentis, lotione capitis aqua frigida,

et catharticis tollere vel saltem diminuere conabimur. De morbis ceruminis et tubarum Eustachiarum jam alio loco dictum est. Itard (p. 188.) contra susurrum, adhibitis simul causae idoneis medicaminibus, hanc commendat mixturam: ℞ Semin. Carv. Sem. Coriandr. aa Drij. Fruct. colocynthid. Drj. dig. in Ol. Rutae ad Colat. fort. expr. tunc adde Aq. Meliss. Drj. M. D. S. Guttatim in aurem instillandum. Contra nimiam sensibilitatem, tinnitum aurium falsum provocantem magna cum utilitate antispasmodica adhibemus, e quibus inprimis vaporisationes Aetheris sulphurici in meatum auditorium commendandae sunt. Frictiones capitis cum lana aspera, fumo succini et baccarum Juniperi impraegnata, interdum sequitur successus. Attamen rectissimae et indefessae curae saepe non contingit, ut haec molesta auditus perturbatio tollatur. Tum ad empirica refugere nobis licet, conscientia fretis, nostrae artis regulas quamcunque rationalem curandi methodum excludere. In nullam tum vituperationem incurrere possumus, dummodo nobis persuasum sit, remedia commendata nihil noxii secum ferre. Huc referendus est fumus herbae nicotianae, usus pulveris sternutatorii, camphora gossypio involuta, hba. rutae recenter expressa, in meatum auditorium illata, vel ab alio quodam masticata, qui halitum aromatico hujus herbae principio impraegnatum in meatum auditorium spirat, emplastrum opiatum ad tempora etc. (cf. Dict. d. scienc. médical. T. III. p. 286.)

Sin autem omnia haec remedia non sufficiant,

ad molestum in aure strepitum opprimendum vel saltem tolerabiliorem reddendum, Itard (pag. 189.) multifariis observationibus felicibus nisus, praecipit, ut strepitus internus, seu verus seu falsus, externo analogo et aeque continuo mitigetur, ut ignis in camino accensi, sat vehementis vel molae etc. Tantum enim abest, ut hic tumultus somnum turbet, ut quietum altumque reddat aegrotoque levamen afferat.

CORRIGENDA.

Pag. 8 lin. 24 pro aurem lege aure.
— 19 — 7 pro ad l. in.
— 24 — 22 Punctum post aliquot delendum.
— 30 — ultima pro revulsriae l. revulsoriae.
— 30 — — pro exercento l. exercent.
— 31 — 6 pro Busserius l. Burserius.
— 32 — 14 pro cariosa l. carioso.
— 35 — 6 pro aliieque l. aliique.
— 35 — 10 pro intima l. intimo.
— 35 — 11 pro illa l. illo.
— 38 — 13 pro ahibeatur l. adhibeatur.
— 38 — 27 pro cognitionem imbuamus l. cognitione imbuamur.
— 42 — 24 pro carcinomatosaem agis l. carcinomatosae magis.
— 43 — 19 pro intimam l. intimum.
— 47 — ult. in nota (***) pro Honnov. l. Hannov.
— 48 — 14 verba: post perfectum delenda.
— 48 — 15 et 16. In vocabulis: meatum auditorium externum purgatum litera m in s mutanda.
— 48 — 21 pro Arneman l. Arnemann.

VITAE CURRICULUM.

Parentibus carissimis, Nathanaële, negotiorum gestore, et Friderica, e gente Schlesinger, quibus superstitibus maxime gaudeo, natus sum, J. Lobethal, anno hujus saeculi decimo, Vratislaviae, die XVIII mensis Octobris atque fidei veteri addictus. Prima litterarum elementa edoctus, puer undecim annorum in Gymnasium Elisabethanum ab ejus Directore, Etzler, viro eruditissimo, receptus sum. Ibi per septem annos versatus, et literis humanioribus opera clarissimorum praeceptorum, Reiche, nunc Directoris munia obeuntis, Wellauer, eruditionis elegantia eximiam famam nacti, nuper praematura morte et Gymnasio illi et universae literarum reipublicae erepti, Haenel et Weichert, insigni benevolentia me amplectentium, imbutus anno

MDCCCXXIX Universitatem in urbe patria florentem, adii.

In Album studiosorum ab Ill. Gravenhorst, t. t. Rectore Magnifico, inscriptus, apud Ill. Benedict, Ordinis Medicorum t. t. Decanum, arti salutari nomen dedi. Inde ab hoc tempore his scholis interfui:

Ill. Wachler de hodegetice; Ill. Branis de logice, Ill. Glocker de mineralogia; Ill Gravenhorst de zoologia; Ill Treviranì de botanice; Ill. Klose de encyclopaedia medica, pathologia et therapia generali; Ill. Steffens de physice et theoretica et experimentali, nec non de mineralogia; Ill. Fischer de chemia tam theoretica quam experimentali, pharmaceutica, organica, de reagentibus, et examinatorio de rebus chemicis; Ill. Henschel de plantis officinalibus et physiologia plantarum; Ill. Purkinje de physiologia hominis theoretica et experimentali; Ill. Goeppert de altera botanices parte; Ill. Barkow de osteologia et syndesmologia; Ill. Otto de corporis humani anatomia, de anatomia comparata et pathologica, de historia foetus. Idem per biennium fere in cadaveribus secandis benevolentissimus mihi fuit dux.

Praeterea Ill. Glocker examinatorium de mineralogia, Ill. Trevirani et Goeppert excursiones botanicas frequentavi.

Ill. Wendt de materia medica, morbis syphiliticis, cachexiis et infantum morbis; Ill. Remer, de therapia generali et prima specialis parte; Ill. Benedict de chirurgia generali et speciali, de ophthalmiatrice, de fasciis et instrumentis chirurgicis; Ill. Betschler de arte obstetricia; Cel. Seidel de materia medica, pharmacologia et arte formulas medicas concinnandi disserentes audivi.

Per annum in clinico medico Ill. Remer, in chirurgico et ophthalmiatrico Ill. Benedict insignes mihi duces et magistri amicissimi fuerunt.

Triennio absoluto Berolinum me contuli, et ab Ill. Marheinecke t. t. fasces academicos tenente in numerum civium academicorum, et ab Ill. beato Rudolphi, Decano maxime spectabili gratiosi ordinis medici in numerum studiosorum medicinae adscitus sum.

In hac florentissima literarum sede Nob. de Graefe et Ill. Rust, clinicis chirurgicis, Ill. Hufeland et Ill. Wolff medicis, Ill. Busch

clinico obstetricio interesse mihi concesserunt. Neque possum, quin his omnibus praeceptoribus, summe venerandis, et praeter illos, Ill. Osann, cujus summam in me benevolentiam expertus sum, maximas, quas habeo gratias agam.

Tentaminibus et examine rigoroso rite absolutis et hac dissertatione defensa, spero fore, ut summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Nullus morbus insanabilis.

II.

Plerique morbi psychici ex animo prodeunt.

III.

Auditus magis quam visus in animum vim exercet.

IV.

Balnea contra aurium morbos nocent magis, quam prosunt.
